ph.
les. Hist.
candinavia.
D.

31761 07967867 8

SYMBOLAE

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PROVINCIARUM SEPTENTRIONALIUM

MAGNI DISSIDII SYNODIQUE CONSTANTIENSIS

TEMPORIBUS

PERTINENTES.

AUCTORE

DR. LUDOVICO DAAE

HISTORIARUM IN UNIVERSITATE CHRISTIANIENSI PROFESSORE ORDINARIO.

* * *

PROGRAMMA ACADEMICUM, QUO INCLUTAE UNIVERSITATI BONONIENSI INTER SAECULARIA SOLLEMNIA GRATULATUR UNIV. REG. FRIDERICIANA CHRISTIANIENSIS.

822
20/9/92

CHRISTIANIAE.

MDCCCLXXXVIII.

TYPIS EXCUDEBAT J. CHR. GUNDERSEN.

SYMBOLAE

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PROVINCIARUM SEPTENTRIONALIUM

MAGNI DISSIDII SYNODIQUE CONSTANTIENSIS

TEMPORIBUS

PERTINENTES.

AUCTORE

DR. LUDOVICO DAAE

HISTORIARUM IN UNIVERSITATE CHRISTIANIENSI PROFESSORE ORDINARIO.

* * *

PROGRAMMA ACADEMICUM, QUO INCLUTAE UNIVERSITATI BONONIENSI INTER SAECULARIA SOLLEMNIA GRATULATUR UNIV. REG. FRIDERICIANA CHRISTIANIENSIS.

CHRISTIANIAE.

MDCCCLXXXVIII.

TYPIS EXCUDEBAT J. CHR. GUNDERSEN.

UNIVERSITATEM BONONIENSEM

POST OCTO SAECULA GLORIOSA EXACTA

NOVA SAECULA FELICIA SPERANTEM

INTER SAECULARIA SOLLEMNIA

DIE XI MENS. IUN. H. A.

CELEBRANDA

UNIVERSITAS FRIDERICIANA CHRISTIANIENSIS

EX PII ANIMI SENTENTIA

GRATULABUNDA SALUTAT.

L. M. B. AUBERT,
SENATUS ACADEMICI PRAESES.
DEC. FAC. JUR.

FREDRIK PETERSEN,
DEC. FAC. THEOL.

J. NICOLAYSEN,
DEC. FAC. MED.

J. A. FRIIS,
DEC. FAC. PHILOS.

TH. HIORTDAHL.
DEC. FAC. MATH.


Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/symbolaeadhistor00daae

PRAEFATIO.

Ludovicus Daae

lectori benevolo

S.

Priusquam ad argumentum dissertatiunculae meae, quae infra sequetur, transiero, liceat de popularibus nostris, qui inclutam Bononiensem universitatem olim frequentavere, brevem adferre notitiam.

E longinquis nostris regionibus nunquam tantus studiosorum iuvenum numerus Bononiae versabatur, ut propria eorum natio, quam vocabant, oriretur, quae, si existere potuisset, Danica haud dubie fuisset nuncupata. Septentrionales igitur advenas inter alienae nationis studiosos recipi necesse erat, et scimus eosdem inde ab anno 1292 semper ad Germanicam nationem pertinuisse. Cui vero nationi antea fuerint adscripti, ignoramus, sed licet coniicere, nostrates antiquitus Bononiae quoque, quemadmodum Parisiis eos solitos esse constat, Anglorum societati sese adiunxisse.

Prodiit anno 1887 Berolini elegantissimum gravissimumque opus: Acta Nationis Germanicae Universitatis Bononiensis, a viris clarissimis Ernesto Friedlaender Caroloque Malagola editum, unde nomina studiosorum in hanc nationem usque ad annum 1562 receptorum cognoscere possumus. Quo in opere[1]) in adnotationibus procuratorum anni 1292 haec legimus:

> »Noverint nostri successores, quod nos predicti procuratores tempore nostro optinuimus esse de nostra nacione dominos de Dacia et Frisia, cum nobis magis sint vicini, unde amodo [sic!] libere vendicentur«.

Apparet igitur ipsos Germanos operam navasse, ut in suam traherent societatem studiosos iuvenes a terris patriae adiacentibus oriundos. Itaque non solum Dani (Sueci,

[1] Act. Nat. Germ. pag. 40.

Norvagi), sed etiam Bohemi, Moravi, Lituani in Germanorum nationem recepti sunt. Haud raro etiam accidit, ut Dani, nobiles potissimum, procuratorum munere Germanicae nationis fungerentur, quamquam antiquitus lege cautum esse videtur, ut a tali honore prohiberentur.[1])

Nomina eorum, qui nostris e terris in Bononiensem academiam sese contulerunt, haec sunt:

1292.

Item Dominus Berengarius Lodowici de Norvegia pro se et domino Bernardo, domino Tortillo [sic!] de Norvegia, suis sociis, juratus dedit LXXII solidos.[2])

Item dominus Petrus de Dacia XII solidos.

Item dominus Petrus de Dacia VI solidos.[3])

Item tempore domini Theoderici, qui successit eidem domino Henrico, expendimus tam in dando advocato quam pro citationibus, cum ageremus contra quosdam de Dacia, XXII solidos.

1293.

Item magister Henricus de civitate Lundensi de Dacia VIII solidos.

Item dominus Johannes canonicus Rolkindensis (!) de Dacia XI solidos.

Item magister Henricus canonicus Hafnensis de Dacia VIII solidos.

1294.

Item dominus Karolus de Scuezia XXX solidos.

Item dominus Nicolaus de Suezia XII solidos.

Item dominus Nicolaus de Dacia VIII solidos.

1295.

Item dominus Gyserus de Dacia VI solidos.

Item dominus Guntherus de Dacia IIII solidos.

Item dominus Ericus de Dacia VII solidos.

---

[1]) Acta nat. Germ. p. 4.

[2]) Praeter haec tria nomina Norvagum in annalibus Germanorum nullum invenimus. Qui primus nominatur, Berengarius Lodowici, idem haud dubie est, qui patrio sermone Bjarni Lodinsson audiebat, vir doctus et qui in rebus publicis administrandis haud mediocriter esset versatus. Parisiis magistri dignitatem adeptus erat, et se ipse iuris civilis professorem vocabat. Iam multis annis ante cancellarii munere functus erat, et eodem quo Bononiam salutavit anno legatus in Scotiam Angliamque missus est, Erici regis Norvegiae nomine, de rebus gravissimis acturus. Mortua enim filia, coronae Scoticae herede legitima, ipse Ericus vacans illud regnum tunc adfectabat. Parum igitur probabile est, Berengarium nostrum, tum tempore aetate iam provectiorem, Bononiae studiorum causa venisse. Verisimilius est, eum, ut iuris peritos Bononienses de rebus domini sui consuleret, in Italiam esse profectum. Dominus Bernardus fortasse est Bjarni Auðunarson, postea in Norvegia consiliarius regius et vir multis nominibus memorabilis. Recte si coniicimus, nomen Bjarni variis modis Berengarius Bernardusque Latine reddiderunt. Tortillus qui fuerit, ignoramus. Vivebat tum temporis Thorkillus quidam Gunnari filius, cognomine Mantellus (möttul), qui iam anno 1291 canonicus ecclesiae cathedralis Asloensis erat (Dipl. Norv. II p. 28), et postea archipresbyter eiusdem capituli evasit. Postea subcollector redituum curiae Romanae erat, et in litteris pontificum magister saepius vocatur. Vixit adhuc anno 1330. Notandum est, Berengarium Lodowici »pro se et sociis« multo maiorem argenti summam nationi dedisse, quam ceteri solebant, qui matriculae inscripti sunt.

[3]) De quibusdam doctis viris huius nominis vide: Nye kirkehistoriske Samlinger I.

1296.

Item dominus Petrus Abii de Dacia VII solidos.

Item dominus Nicolaus Suenonis de Dacia VII solidos.

Item dominus Theodericus de Dacia X solidos.

1298.

Item dominus Henricus archidiaconus Lundensis ad salvandam conscientiam suam pro se et puero suo X solidos.

1299.

Item dominus Gisbernus canonicus Wybernensis monasterii de Dacia IIII Venetos.

1300.

Item dominus Johannes Lyki [1]) de Dacia XX solidos.

Item dominus Michael Ascheri de Dacia V solidos.

1347.

Conradus de Lypczk plebanus in Rambyn [2]) Roschildensis dioecesis, procurator.

1373.

Item dominus Hartlevus archidyaconus Upsale in regno Suecie XX solidos.

Item dominus Johannes canonicus Strengensis in regno Swecie VI solidos.

1380.

Dominus Andreas de Suecia canonicus Upsalensis solidos XVI.

1381.

Item a domino Diethgone de Dacia [3]) II florenos Bononienses.

1408.

Item dominus Nicolaus Jacobi Luunghe de regno Dacie II libras Bononinorum. [Episcopus Strengenensis in litura additum]. [4])

1416.

(?) Item a domino Andrea Grytlant de Pruscia Bologninos XI.

1435.

Dominus Birgerus Birgeri presbiter Strengenensis dioecesis de Suecia dedit solidos XII.

---

[1]) Præpositus Ottoniensis anno 1320. Scr. R. D. I p. 300.

[2]) In insula Rugia ad oram Pomeraniae posita, tum dioecesi Roskildensi subiecta.

[3]) Fortasse Tezo (de stirpe nobili Putbusch), qui 1378 Pragae studiis operam dedit et anno 1400 episcopus Ottoniensis mortuus est.

[4]) Huius nominis nullus episcopus Strengenesensis fuit. et Nicolaus Iacobi Lunge, episcopus Roskildensis, iam anno 1395 mortuus est.

1436.

Dominus Godscalcus Rixdorp archidiaconus Sleswicensis.

1437.

Item dominus Godscalcus Rixstorp de Holsatia, archidiaconus Sleswicensis, ad meliorem deliberacionem dedit solidos XII Bononinorum.

1448.

Item a domino Conrado Bydz de Finlandia[1] solidos duodecim.

1459.

Item dominus Cristofferus Iohannis canonicus Roschildensis dedit et solvit X Bologninos.

1460.

Item a magistro Cristofero Johannis Lundensis et Roschildensis ecclesiarum canonico[2] XXX solidos.

1474.

Item a domino Iohanne de Bergen, arcium magistro, quinque libras.[3]

1478.

A domino Reginaldo canonico Upsalensi XIII solidos.

1482.

A nobili viro Magno Erici Arusiensis ecclesie archidiacono[4] pro se et magistro suo[5] ducatum unum.

1484.

Die sexto mensis Ianuarii congregatis dominis scolaribus nationis Teutonice in loco solito atque consueto electionem celebraverunt unanimi consensu eligendo in suos procuratores venerabiles viros dominos Magnum Erici et Nicolaum de Heynitz scolares universitatis Bononiensis, qui huiusmodi procurationis onus subierunt et secundum formam solitam iuramenta prestiterunt.

[1] Obiit episcopus Aboensis in Finlandia 1489.

[2] Scr. R. D. VIII 324. 328.

[3] Hic fortasse non Bergis in Norvegia, sed in loco aliquo huius nominis in Germania sito domicilium habuit. Sed anno ipso 1474 Iohannes Theiste, canonicus Bergensis, qui Parisiensis iamdudum erat magister artium (L. Daae: Matriculae studiosorum), Romam profectus esse videtur. Erat nuper episcopus Bergensis electus, et eodem anno papa electionem confirmavit, ut in chronico legitur Christiani de Gheren nondum typis divulgato. Fieri igitur potuit, ut electus noster Bergensis in itinere Bononiam visitaret.

[4] Hic e nobilissima Rosencrantziorum prosapia fuit et filius Erici Ottonis, equitis, consiliarii et magistri curiae regiae Danicae. Magnus noster anno 1472 Erfordiae studiis operam dedit, ubi eo tempore consanguineus eius Dr. Ericus Nicolai rectoris munere fungebatur (L. Daae, Matriculae studiosorum &c. p. 27, Motschmanni Erfordia litterata III p. 353). Magnus alias monachus Mariboensis vocatur, sed, ut videtur, falso. Petrus Nicolai, popularis eius atque in itinere comes, Magno Bononiae anno 1486 mortuo, epitaphium posuit, vide Schrader Monum. Ital. L. I p. 65, Pontoppidani Annales eccl. Dan. II p. 684.

[5] Ut puto, Mag. Petrus Nicolai, quem in nota superiori nominavi.

1485.

Anno Domini 1485 ipso die epiphanie Domini adunata et simul congregata honorabili nacione dominorum de Almania studii Bononiensis in iure canonico et civili scolarium electi fuerunt in eiusdem nacionis procuratores viri dominus Johannes Truchses de Bomersfelden et dominus Petrus Nicholai de Dacia in artibus Magister et sacre theologie baccalarius formatus[1]), qui iuramento iuxta dicte nationis ritum et statutorum formam prestito procuracionis onus et prelatorum honorem receperunt.

1486.

Pro cereis parvis ad exequias domini Magni de Datia 7 Bolendinos et dimidium.

1489.

A Domino Dittlevo Pokhsurg[2]) de Holdsatia, canonico Slesvicensi VI grossos [Mitra in margine picta est].

1497.

A domino Nicolao Conradi de Dacia canonico Lundensi XII grossetos.

1498.

Die XXV mensis Ianuarii nos Anthonius Vostenberch et Theodoricus Nytzleben substituti facto calculo coram — — et domino Nycolao Conradi de Dacia — — syndicis ad hoc electis, remansimus debitores nacioni in XXXII libris et duobus Bologninis.

A nobili domino Gotschalco de Anevelde[3]) thesaurario et canonico Slesvicensi Bologninos XXXIII. (Alia manu: Episcopus Slesvickensis).

1500.

Godschalcus de Anevelt ex Holdsatia, thesaurarius Slesvicensis ac eiusdem et Roskildensis ecclesiarum canonicus, et Georgius de Trawtenbergk procuratores anno jubilei.

Dominus Olaus Swort canonicus Upsalensis.

1502.

Dominus Iohannes de Alevelt dyoecesis Sleswyckensis medium florenum; eodem anno diem suum clausit extremum; cuius anime fons ille misericordiarum iudex sit propitius, qui ad nostre nationis in Sancto Dominico sepulturam dedit ducatum I, ut in alio libro.

In exequiis domini Iohannis de Alevelde pro candelis VII Bolendinos.

Nobilis dominus Iohannes de Alevelde sacrarum legum studiosissimus scholasticus animam Deo reddidit anno 1502 in vigilia Iacobi, qui pro suo honore et salute anime ad

[1]) Fortasse idem, qui postea canonicus Hauniensis fuit (H. Rørdam, de ecclesiis et monasteriis Hauniensibus p. 144).

[2]) Ditlevus Pogwisch episcopus Slesvicensis 1490—1507.

[3]) Hic, episcoporum Slesvicensium catholicae religionis ultimus, obiit 1541, dioecesi iam pridem reformata.

sepulturam nostram in monasterio divi Dominici nationi contribuit ducatum unum; pro quo, pie lector, ora unum pater noster.

1503.

Dominus Wulffgangus Powiske Sleswickensis dioecesis dedit dimidium ducatum.

1507.

Dominus Hemungus Rissenbengghe Sleswicensis canonicus ex ducatu eiusdem de civitate Flensborgensi XXXV Bolendinos.

1508.

Dominus Petrus Anckersen Haderslevensis XXV Bolendinos.

1510.

Egregius vir dominus Hennignus Kissenbrugge ecclesie Sleswicensis canonicus eo tempore inclitae nationis nostrae Germanicae procurator pontificii iuris infulis decoratus die 29 Decembris, qui ex liberalitate sua nationem praefatam donavit uno floreno Renensi aureo.

1525.

Ab domino Georgio ab Sterrn[1] pro inscriptione aureum Renensem, qui anno superiori inscriptus est.

1526.

— — Procuratores nominati et electi fuerunt nobiles viri dominus Georgius a Stern Danus et dominus Carolus de Brumania Frisius.

1558.

Nobilis dominus Achatius Benedicti[2] ab Echa et Berghammer regni Sueciae libras quattuor.

Quot vero populares nostri postea Bononiam studiorum causa sese contulerint, nondum liquet. Scimus autem saeculis XVI et XVII Danos Norvagosque haud ita paucos in universitate Pataviensi versatos fuisse. Ab anno enim 1566 ad annum 1644 Dani Norvagique hic inscripti sunt CCLV, quorum LXXV medicinae, ceteri, nobiles praesertim, iurisprudentiae studio se dederunt.[3] Etiam in aliis Italiae academiis Scandinavos nonnumquam degisse constat. Ut exemplo utar, Ioannes Magnus, archiepiscopus Upsaliensis rerumque Suecarum historicus satis notus, circa annum 1520 Perusiae theologiae doctor creatus est.[4]

[1] Nomen huius viri patrio sermone erat Jørgen Gyldenstjerne. Erat frater Canuti Gyldenstjerne, episcopi Ottoniensis, et Magni Gyldenstjerne, equitis et consiliarii regii, virorum in historia Daniae Norvegiaeque satis notorum. Mortuus est vicarius Ottoniensis anno 1551. Ex epistolis eius Bononiae scriptis loci quidam infra legentur.

[2] E nobili familia Ferla, eques et consiliarius regni Sueciae, obiit a. 1578.

[3] Vide: »Samlinger til den Danske Historie« (curavit illustrissimus P. F. Suhm) II, 3, p. 6—18.

[4] Scr. Rer. Suec. III 2 p. 74.

De studiis Scandinavorum vitaeque eorum, dum Bononiae degebant, rationibus, nihil fere compertum habemus. Unius tantum, id quod sciam, studiosi iuvenis, Georgii scilicet Gyldènsternii epistolae nonnullae extant, Bononiae scriptae, brevi, curante doctissimo Holgero Roerdam, in lucem prodituraе, ex quibus litteris, quas mecum editor amicissimus pro eximia sua benevolentia communicavit, hic locos quosdam adferre libet.

Scribit Georgius noster (7 Iul. a. 1525) in epistola ad consobrinum suum Avonem Bilde, episcopum Arusiensem in Dania celeberrimum, data:

> Primum ut Bononiam uenissem, resque meas, quantum pro tempore licuit, composuissem, animum ad iuris ciuilis scientiam adiunxi, partim quo parentibus meis, ceterisque amicis, qui me ad hoc studium sepe cohortarunt, morem gererem, partim etiam quod tum temporis ad iuris ciuilis cognitionem uehementer affectus esse animus meus uidebatur. Plura de huius cognitione scriberem, quam preclara, quam utilis sit, tum in omni re administranda, tum etiam, quantum non solum ad causarum usum forensem subsidii, sed quantum senectuti ipsi decoris ornamentique afferat, nisi ad te scriberem, qui in Danorum republica non uersatus solum, sed omnino princeps fuisti, ad quem unum, non dico nostratium nobiles tantum, quamquam id maximum, sed externarum nationum principes tanquam ad certissimum oraculum semper conuenerint atque confugerint, adeo ut nemo dubitet te eius fastigium amplitudinemque longe certius tenere, quam uel ego pro hac ingenioli mei inopia, uel alius quispiam literis posset consequi. Sed quia hec scientia tum immensa est, tum etiam satis obscure tradatur, non uideor sine magno labore, longo tempore, maximo etiam sumptu, magnos posse in ea progressus facere, quorum alterum in nostra, alterum in Deorum immortalium, alterum in parentum potestate esse uidetur. De illorum benignitate nihil unquam dubitaui, nam quantum ad sumptus opus fuit, semper benignissime suppeditauerunt, curaruntque, ne ullum eorum officium in me desiderarem, nisi quod in scribendo essent rariores, ne dicam negligentiores. De meo autem labore ac industria tantum polliceor, me nullum unquam laborem literarum causa uelle effugere, immo quantum possum studio, labore, industria, omni denique animi impetu contendere, totum id literarum studijs libentissime impartiri et uelle et pro uiribus etiam facere. Nec tamen ita me huius iuris scientiae addixi, ut in literis policioribus (quas quidam humaniores uocant) nihil aut studii aut operae impenderem. Que cum reliquis disciplinis omnibus maximo adiumento sint, adeo ut doctissimorum testimonio his uehementer indigeant, tum ad hanc iuris prudentiam ita affecte sunt, ut non solum plurimum prosint, sed ita coniungantur, ut ille non dicendi solum, sed omnis lingue latine sine controuersia princeps, Cicero, eloquentiam iuris ciuilis partem esse, certe afyrmauerit. Quare a iuris studioso non modo non negligende sunt (quamquam id fere fiat a plerisque et iureconsultis et theologis), sed omni studio amande atque amplexande uidentur.
>
> Non hec scripsi, clarissime Antistes, quod tibi non quam notissima esse crederem, cum sciam, de hac re nullum preceptum extare, que (!) te pro summa tua sapientia effugiat, sed eo feci, ut (quemadmodum superius pollicitus sum) totius institutionis mee rationem redderem. Ad cognitionem uero pontificij iuris, si uel per facultates licebit, uel tempus ipsum patiatur, me a patria, ab amicis meis longius abesse (nam hec, ut scripsi antea, sine longo tempore magnisque sumptibus coniungi non possunt) quoat uidebitur annum adiungam, daboque pro mea uirili operam, ut si quam apud uos mei expectationem concitauerim, sin minus supe-

rare aut uincere potero, sustinere tamen uel saltem adequare contendam. — — Quare summe prin(ceps) uehementer te iterum atque iterum rogo, ne molestum sit crebro ad me literas dare; nihil enim est, quam (!) malim quam sepissime una tecum colloqui; ceterum cum id hoc tempore minus liceat, quid mihi iucundius posset contingere, quam sepenumero tuas iucundissimas amantissimasque literas, quibus tamquam presentes uidemur colloqui, lectitare?

Deinde (die adsumptionis Mariae, i. e. XVIII Kal. Sept. a. 1526) ita Canutum fratrem, tum Vibergensem praepositum, postea Ottoniensem episcopum, adloquitur:

Reliquum est, amantissime frater, ut te, qui ut etate, ita prudentia me longo interuallo antecedis, nonnihil de hac re, que mentem atque cogitationem meam modo in hanc, modo in illam sententiam uidetur distrahere, consulam, quod eo etiam libentius facio, quod certo sciam, uel confidam potius, te sicuti in ceteris rebus omnibus, ita etiam in hac re fidelissimum mihi atque amantissimum consilium esse daturum. Dedit ad me literas uir omnium iudicio tum innocentissimus, tum nostre familie semper amantissimus Rev. D. Auo Bille, Arusiensis Antistes, in quibus me hortari uidetur, primum ut animum ad diuinas literas, siue Theologie studium, appellerem, deinde ut quam primum relicta Bononia Romam iter facerem, ubi ad agendum seu (ut uulgo dicitur) ad practicam me conferrem, postremo post annum ad priorem redirem. Hec me, frater amantissime, uehementer sollicitant, uehementer interdum dubium ac suspensum reddunt. Nam tanti uiri preceptis, cuius authoritas pari iuncta prudentia summa est, mihi adolescenti, qui paucis ante annis primum uideor . . res reliquisse, non obtemperare turpe existimo. Relinquere autem ius ciuile, cuius nunc uideor prima quodammodo elementa degustasse, atque animum alteri facultati adijcere, idem penè uidetur esse, ac si quis, tenuiter in aliqua arte institutus, quam quidem uidetur quasi a limine salutasse, qua relicta, alteri, item rursus alteri studio se addixerit, ut ipse tandem, quid sciat, aut quid nesciat, prorsus ignoret. Non hec scribo, frater iucundissime, quod non saluberrimam, preclarissimam, atque homini in Christiana republica uersanti summe necessariam diuinarum literarum cognitionem existimem, sed hoc miror, quod me uno anno Rome, ubi (quantum ad diuinarum literarum studium attinet) nihil, preter sophisticas quasdam Tome et Scoti questiones, quibus ipsi Oedipo negotium facesserent, crepant, Prophetarum runa, Euangelium ac Apostolorum precepta, a quibus tota nostra salus dependet, nunquam nec attingunt, nec profitentur, et practicam illorum aucupum, qui ut uultures cadauera, ita ij Sacerdotia (que nunc uulgo beneficia uocantur) ambiunt atque insectantur, una cum sacris literis uelit perdiscere. Quanquam ita in animo est partiri studium meum, ut, cum ad uos rediero, nolim etiam in sacris literis hospes uideri, cuius cognitionem commodius in Germania, ubi et librorum, et in ea facultate preceptorum uberior erit copia, possum consequi. Non tamen te ignorare volo, frater amantissime, me ante annum in animum habuisse Romam proficisci, non ut illarum argutiarum, quas imposturas rectissime conuenit appellari, fierem particeps, sed ut preceptorem meum Lazarum Bonamicum, qui istuc una cum Cardinali Campegio profectus est, eo deducerem, assidueque una cum eo essem, a quo nulla me res alia, quam summa pecuniarum egestas, qua hoc fermè toto biennio, non sine maxima et studiorum meorum et pecuniarum iactura laboraui, diremit, quem multi hinc Germani studiorum causa et persecuti sunt, et una cum eo familiarissime uiuunt, quos, quantum eo preceptore profecerint, nunquam penitebit. Quod autem me, ut post annum ad uos redirem, hortatur, uidetur ferme in eadem mecum sententia fuisse. Non enim diffitebor, me omnino in

animo habuisse, uos, a quibus longissimo tum tempore, tum loci intercapedine abessem, proximo uere inuisere, partim ut amicos meos, quorum incredibili quodam desyderio teneor, et conuenirem, et cum eis de omnibus rebus communicarem, partim etiam, ut mores, consuetudinem, leges, statuta, ritus denique nec patrie, in qua pene hospes uideor, perdiscerem, quo facilius, ijs cognitis, quibus studijs, quibus artibus in reliqua etate maxime mihi incumbendum, insudandum, elaborandum esset, possem cognoscere Quanquam enim iis de causis uehementer cupiebam patriam, parentesque meos, quibus mihi antiquius nihil debet esse, inuisere, quoniam tamen matrem meam charissimam, quam cupio quam felicissime quamque diutissime uiuere, teque fratrem amantissimum aliter sentire uiderem, statim (ut debui) meam sententiam uestro consilio accommodaui. Hec sunt, frater amantissime, que me uehementer sollicitant, uehementer mentem et cogitationem dissipant, de quibus, sicuti in ceteris omnibus rebus, confido te mihi fidelissimum atque amantissimum consilium esse daturum. Ad hec mala accedit preterea summa nummorum inopia, qua (ut superius quoque significaui) hoc toto fermè biennio sum depressus. Nam illam, quam superiori anno Rome accepi pecuniam, eam omnem in meos creditores irrogare sum coactus, tanto eris alieni onere, quod et serius et negligentius, quam aut uolebam aut oportuit, missa erat, grauabar, nec a uobis interim teruncium accepi. Quamobrem hoc tempore, cum et grande eris alieni onus impendeat, et hic nemo sit, cui non mea fides, cum tanto me tempore a meis negligi uideant, in dubium ueniat, coactus sum hunc tabellarium meo ere ad nostrum mercatorem Henricum Smyt mittere (quippe nos tanto locorum interuallo distamus, ut hic neminem habere possim, qui istuc uelit iter facere), a quo tantum mihi nummorum irrogari uelim, quibus et creditoribus meis dissoluere et hic uno anno possim uiuere. Hoc autem tibi persuadeas, charissime frater, me hoc tempore, quo Bononie fui, semper adeo parce, adeo sobrie uixisse, ut hic nemo sit, qui me aut frustra, aut temere, aut negligenter unum obolum expendisse audeat dicere. Quod autem grande es alienum conflasse uideor, id tum parentum meorum negligentia, tum etiam Meccorum nec non Fuggerorum auaritia, qui me meo quasi demenso preter aequum et bonum defraudarunt, accidisse existimabis, non enim diffitebor, me hic Hebreis Bononiensibus, qui, urgentibus sane necessitatibus, mihi mutuo ere subuenerunt, penè uiginti quinque ducatos in fenus dissoluisse. Itaque te, frater amantissime, vehementer iterum atque iterum rogo, matrem diligenter horteris, ut si quid posthac ad me uelit mittere, det operam, ut celerius atque diligentius ad me transmittatur. Plura in hanc sententiam scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem expectaret, aut res uerba desyderaret ac non per se ipsa loqueretur, aut si id fieri hec tempora paterentur; fateor enim me hoc tempore, cum has ad te dabam literas, animo vehementer suspenso, occupato, dubio, turbato atque adeo mestissimo fuisse. Quare si omnia minus concinna, minus apte scripta uidebuntur, id non tam mee negligentie ac inscitie, quam horum temporum iniquitati ascribi debere, pro summa tua humanitate putabis. Noui hoc tempore nihil ad te omnino scribere audeo, quum omnia itinera hoc tempore a satellitibus obsideantur, nec ullum tabellarium demittunt, quin prius diligenter inquisierint, perscrutauerint, omnia peruestigauerint, omnes literas perlegerint, postremo nihil prorsus rerum nouarum ad exteras nationes perferri uolunt, immo, si quispiam forte cum eiusmodi literis in illorum manus inciderit, grauiter interdum punitur, nonnunquam etiam in uite discrimen uocatur. Hac itaque potissimum de causa nullas ad reliquos meos consanguineos dedi literas, quibus tamen omnibus plurimam salutem ascriptam esse dicas, te uehementer rogo.

Bononia denique relicta Coloniaeque Agrippinae commorans Georgius in epistola ad Avonem Bilde data scribit:

> Quod non sepius ad tuam Paternitatem dederim literas, presul colendissime, id nulla mea negligentia seu pigritia, sed tabulariorum inopia factum pro summa tua humanitate putabis. Nam cum hijs calamitosissimis temporibus omnia itinera, quibus iter uulgo fieri solet, nunc a grassatoribus obsideantur, perpauci reperiuntur, qui hac tempestate itineri se sine summo periculo committere audeant. Nunc uero cum ipse tandem per uarios casus, per multa rerum discrimina, pestem illam, qua nunc tota Italia redundat, effugerem, mearum partium esse existimaui, tuam imprimis amplitudinem, nec non ceteros meos amicos, quos uehementer de mea salute anxios suspensosque esse certo scio, de meo reditu quam primum facere certiores. Quod uero ipse statim patriam non adierim, multe me cause et iuste quidem ille impediuere — — quas omnes coram malo recensere, quam hoc tempore literis persequi.
>
> Preterea non te latebit, summe princeps, me ex postremis amicorum literis, quas superioribus diebus hic Colonie accepi, intellexisse, se vehementer cupere, me, antequam in patriam redirem. Doctoratus titulum uelle suscipere, quod quidem in Italia facile fieri potuisset, preterea erat michi etiam in animo, nisi a nonnullis, ut tum quidem uidebantur, amicis, re ipsa uero uideo inimicos mihi fuisse, essem ab instituto reuocatus, qui tum sic mihi persuadebant, eos apud nostrates, sicuti etiam in multis Germanie locis, propter peruersam illam Euangelij doctrinam, uehementer contemni, qui aliquo humaniori titulo essent insigniti. Hanc opinionem crebris ex Germania missis literis facile comprobabant, nec ipse unquam antea ab amicis admonitus sum, ut humaniori aliquo titulo ornatus in patriam redirem; iccirco facile in aliorum sententiam adductus sum. Nunc uero cum uideo eos hoc uelle, deligam mihi aliquod celebre Germanie Gymnasium, ubi cognouero maximam doctorum hominum frequentiam, minimam autem huius noue doctrine professorum multitudinem, ibique, quoat fieri potest, quam celerrime amicorum uoluntati satisfaciam.

Anno 1474 Christiernus, Daniae et Norvegiae rex, eius nominis primus, cui antea etiam Suecia paruerat. Romam profectus est. Quo itinere bis Bononiam visitavit, primum mensis Martis die XXVI, deinde Roma redux ineunte, ut videtur, mense Maio. Ferunt[1]) eo die, quo primum rex Bononiam adiit, hominem quendam, Christierni imperio subiectum, ut summos in iure civili honores capesseret, publice disputavisse regemque ipsum huic disputationi interfuisse. Paratam porro regi amplissimam magnificentissimamque sedem fuisse, quam tamen pro sua modestia accipere noluisse et in doctorum subselliis locum elegisse. Potentissimi principis mores a fastu superbiaque regali prorsus alienos populo placuisse, primum regem Latinae linguae ignarum quodammodo contemnenti.[2]) Sed dubitare me

[1]) Vide egregiam dissertationem de itinere Christierni regis, quam scripsit Casparus Paludan-Mueller (Dansk historisk Tidsskrift ser. 5 II p. 281).

[2]) Notissima est narratio, Sixtum IV papam, cum Christiernus rex nec Latine nec Italice loqui posset, irridentem dixisse: O pulchra bestia, si modo non careret loquela! Quae vero fabula cum iam per se parum videatur verisimilis, tum eam potissimum ob causam me iudice falsa atque commenticia censenda est, quod eadem iam antea de Friderico quodam, comite de Moers, qui priore saeculo XIV, vixit, Diderici II Coloniensis archiepiscopi patre, narrata fuerant. Ferunt enim, Fridericum comitem (qui ut Christiernus rex vir magnifici procerique corporis fuisse perhibetur), cum

iudice licebit, num vera sint, quae hic narrantur, omnia. In actis enim Germanicae nationis nomen regis desideramus, qui, si vere universitatem salutasset, haud dubie et nationi donum aliquod dedisset et a studiosis honore aliquo affectus esset. Neque intellegere valemus, quis fuerit ille doctor, Christierni regis dicioni subiectus; nam in matricula hoc tempore neminem invenimus ex regnis aut ducatibus Christierni oriundum.[1])

Anno 1475 Sixtus papa epistola sive bulla die XIII Kal. Sext. data permisit, ut nova universitas in urbe aliqua regnorum Christierni regis conderetur, quo factum est, ut post quattuor annos incluta Hauniensis Academia inaugurata sit. Anno 1477 papa idem a. d. II Kal. Mart. gubernatori Sueciae Stenoni Sture concessit, ut universitatem Upsaliae fundaret, qua in universitate magistros academicos iam hoc anno nondum peracto docuisse, Succi adfirmant sane, satis autem perspicue nequeunt demonstrare. Quarum igitur universitatum perillustrium amplissimarumque utra utram aetatis honore dignitateque superet, difficile dictu est.[2]) Utriusque autem academiae primordia luculentissime ostendunt, quae fuerit in remotissimis etiam orbis regionibus Bononiensium vis atque auctoritas. Et Hauniae enim et Upsaliae primae academicae leges ad Bononiensium exemplar conscriptae sunt.[3])

Sed de laudibus meritisque Bononiensis universitatis non est nostrum disserere. Satis enim novit universus orbis, historiam eius academiae, quae iam octava parat saecularia, cum ipsius generis humani progressibus artissime fuisse connexa, et grato igitur animo augustae doctrinarum studiorumque sedi fausta omnia ex animi sententia adprecatur.

Romanam curiam visitaret, a papa quodam, frustra eum et Latine et Italice adlocuto, pulchram bestiam esse appellatum; quod cum comperisset, pudore perfusum comitem statim in animum induxisse, ut tres, quos haberet, filii omnes litteris imbuerentur. (Ebeling: Die deutschen Bischöfe I 213). Comparanda est narratio de Suenone Norvago, episcopo Roskildensi, Latinae linguae primum ignaro, deinde peritissimo, quae etiam antea de episcopo Paderbornensi ferebatur, vide notam Petri Erasmi Muelleri ad Saxonem Grammaticum II p. 560.

[1]) Si Iohannes ille de Bergen a. 1474 Bononiae degens idem fuit, qui hoc anno ad episcopi dignitatem evectus est, eo tempore saltem, quo Christiernus Bononiam venit, adhuc in patria erat; nam episcopus mense Iunio electus est. (Dipl. Norv. V p. 638).

[2]) Vide dissertationem, quam supra laudavi, Caspari Paludan-Muelleri p. 305—306.

[3]) Vide Werlauffii »Kjøbenhavns Universitet fra dets Stiftelse indtil Reformationen« p. 4, 7; Frid. Munteri Magazin für Kirchengeschichte des Nordens I p. 351; Scr. R. D. VIII p. 333; Annerstedtii Upsala Universitets Historia I p. 15.

SYMBOLAE

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PROVINCIARUM SEPTENTRIONALIUM

MAGNI DISSIDII SYNODIQUE CONSTANTIENSIS

TEMPORIBUS

PERTINENTES.

I.

Satis constat, anno 1378 Romae Gregorio XI papa mortuo, in ecclesia occidentali vehemens et diutinum ortum esse dissidium. Duo enim papae, alter Romae, alter vero Avenione domicilium habens, de nomine iuribusque pontificatus concertabant, quo factum est, ut in diversas partes ecclesiae Romanae provinciae abirent. Ruperto, qui Clementis VII nomine sese Avenionem contulerat, Gallicana ecclesia paruit, cui etiam Scoti, quia tum iis erat intima cum Gallis societas, maiorque Hispanorum pars sese adiunxere. Ceteris in terris Urbanus VI eiusque successores Romani pro vero pontifice obtinebat.

Tres igitur septentrionales provinciae, Lundensis, Nidrosiensis, Upsaliensis, ab omni cum Avenionensi curia societate commercioque erant alienae. Unica tantum Nidrosiensis provinciae dioecesis a metropoli hoc tempore defecit. Adhuc enim episcopus Sodorensis vel Manniae Hebridarumque, quae insulae ad annum 1266 regis Norvegiae imperio subiectae fuerant, suffraganeus fuit archiepiscopi Nidrosiensis, et constat Thomam natione Scotum anno 1334 Nidrosiae fuisse consecratum.[1]) Guilielmus successor Avenione anno 1349 consecratus est, agnito tamen Nidrosiensis ecclesiae iure.[2]) Anno 1382 et Urbanum et Clementem de rebus Sodorensium epistolas dedisse invenimus,[3]) sed proxime sequentibus annis auctoritas Avenionensis hic praevaluisse videtur.[4])

Urbanus pontifex anno 1382 in omnibus ecclesiis Norvegiae litteras publicandas curavit, quibus certiores facti sunt regnicolae, Rupertum sive, qui vocabatur, Clementem Avenionensem anathemati esse obnoxium.[5]) Reges septentrionalium terrarum auctoritatem Urbani semper agnoscebant. Margareta, regina celeberrima, Romam cum multis suis mini-

[1]) Mackenzie E. C. Walcott, The ancient church of Scotland, London 1874. 4. pag. 168. Cfr. etiam hisce de rebus Chronica regum Manniae et insularum, ed P. A. Munch, Christianiae 1860.

[2]) Dipl. Norv. (ex regestis arch. Vatic.) VII p. 218 sqq.

[3]) Dipl. Norv. VII pag. 320, 323.

[4]) Scotorum regnum adhuc proprio metropolitano carebat, et dioeceses huius terrae, Sodorensi excepta, Eboracensi archiepiscopo suberant usque ad annum 1472, quo archiepiscopatus de St. Andrea fundatus est, cui non solum Sodorensis dioecesis, sed etiam Orcadensis (Dipl. Norv. VII pag. 469) tum subiecta est. Anno 1498 Mannia insula Anglis concessa, nova sedes episcopalis Hebridarum in Iona insula facta est. M. E. C. Walcott. l. c. pag. 8.

[5]) Annales Islandorum (Islandske Annaler) ed. G. Storm, pag. 282.

stris devotionis causa se profecturam esse pollicita erat, quo tamen voto a papa anno 1390 liberati sunt.[1])

Haud facile negaverit quispiam, Romanam curiam iis, de quibus hic agitur, temporibus omni fere modo operam dedisse, ut a provinciis ecclesiae pecuniam extorqueret. Iam magni Innocentis III pontificis tempestate Romanam avaritiam merito omnes populi metuebant, id quod ut apud ceteros coaevos historicos ita apud Mathaeum Parisiensem inprimis legere licet. Dum autem Avenione curia exulabat, talis demum abusus omnem modum excessit, et simonia, quae vocatur, pontificalis ad artem vere redacta est perpetuisque quasi legibus perfecta et fundata. Annatae, taxae, servitia hoc tempore orta sunt totiusque orbis clerus quasi tributarius factus. Peccatorum remissio venalis esse coeperat, dispensationes emere licebat, ad cruciatas expeditiones, quae numquam factae sunt, pecunia postulata est, quae omnia enumerare longum.[2])

Taxae episcopatuum optime fortasse in registro vetere editae sunt, quod publici iuris fecit vir celeberrimus summeque reverendus, I. Döllinger,[3]) unde hic adferimus ea, quae ad septentrionales sedes spectant. Sed monendum est, eam pecuniam, quae iuxta nomina dioecesium nominatur, non quotannis ab episcopis erogatam esse. Hoc sane multi, immo viri vere doctissimi credidere,[4]) sed falso. Sede tantum vacante haec summa pontifici solvebatur, additis minutis, quae vocabantur, servitiis, curiae secretariis ministrisque oblatis. Sed saepissime sane evenit, ut multo maior pecuniae summa, quam quae in taxa nominatur, a consecrando episcopo extorqueretur.[5]) Taxae igitur huiusmodi fuere:

---

[1]) Dipl. Norv. V pag. 251. Margareta tamen, si non Romam, ita in Germaniam saltem, id quod hucusque ab historicis nostris non observatum est, pictatis nomine profecta esse videtur. Legitur enim in chronico quodam Monasteriensi de Heidenreicho Wulfio (episcopo Monasteriensi 1382—1392): »Honestissime reginam Daciae tractavit, cum per civitatem et dyoecesin Monasteriensem causa peregrinationis transiret, de quo per plagam septentrionalem multum laudis et honoris est adeptus.« (Geschichtsquellen des Bisthums Münsters I pag. 76).

[2]) Petro Andreae Munch, celeberrimo Norvagorum historico, cognitionem harum rerum, quod ad septentrionales provincias attinet, inprimis debemus. Romae per triennium (1858—1861) degebat, ut in archivo Vaticano documenta historica inspiceret describeretque. Norvegica, quae invenit, iam publice edita sunt, maximam partem in diplomatario Norvegico curantibus doctissimis Henrico Georgio Huitfeldt-Kaas atque Carolo Richardo Unger. Ipse Munchius peculiarem collectionem edidit: »Pavelige Nuntiers Regnskabs- og Dagbøger, førte under Tiendeopkrævningen i Norge 1282—1334.« (Christianiae 1864). Danica, a Munchio descripta, in collectione »Ny kirkehistoriske Samlinger« (Vol. III—V) typis divulgata sunt.

[3]) Beiträge zur politischen, kirchlichen und Cultur-Geschichte der sechs letzten Jahrhunderte II pag. 1—296.

[4]) Inter hos e. gr. P. A. Munch (Det Norske Folks Historie 2, I p. 97) et B. Dudik O. S. B. (Iter Romanum, Viennae 1855, I p. 66).

[5]) Exemplum luculentissimimum cel. Ioannes Voigt, historicus ordinis Teutonici optime meritus, attulit (Raumeri Historisches Taschenbuch IV (1833) p. 146). Sede archiepiscopali Rigensi anno 1450 vacante archielectus erogavit:

1.	Solitam taxam	800 fl.
2.	cardinalibus	667 -
3.	pro quinque bullis obtinendis	107 -
4.	quattuor viris non nominandis	500 -
5.	donativa varia	900 -
6.	pro pallio	91 -
7.	ut pallium obtineret, advocatis, subsidiariis cett. . . .	363 -
		3433 fl.

(Döll pag. 31) Arosiensis in Suecia fl. CCL.

(pag. 34) Arusiensis in Datia fl. LXVI II t (ɔ: $66^2/_3$).

(pag. 53) Burgalensis fl. LXVI II t ($66^2/_3$).

(pag. 53) Bergensis fl. LXVI II t ($66^2/_3$).

(?) (pag. 107) Farensis fl. XXXIII.

(pag. 116) Gradensis prov. Nidrosiensis fl. CCL.[1])

(pag. 119) Hamerensis in prov. Nidrosiensi fl. LXVI II t ($66^2/_3$).

(pag. 127) Lundensis in Dacia fl. IV M; per papam Martinum V taxa reducta fuit ad II M, per testificationem anno II.

Omnium Sanctorum O. S. B. fl. CC.

(pag. 141) Lincopensis fl. DCLX.

(pag. 173) Nidrosiensis fl. DCCC.

Mariae de Holim O. S. B. fl. LXXV.[2])

(pag. 178) Olonensis, Olensis fl. CCL.[3])

(pag. 179) Ollozensis fl. D.[4])

(pag. 180) Octomensis (!) in Dacia fl. CL.

(pag. 180) Orkadensis fl. CC.

(pag. 209) Ripensis in provincia Lundensi fl. CXX.

(pag. 210) Revaliensis fl. CCC.

(pag. 211) Rosquidensis in Dacia fl. M.

(pag. 225) Scarensis fl. CCCLXX.

(pag. 226) Sodorensis fl. DCLX.[5])

(pag. 228) Stavangriensis fl. CCL.

(pag. 233) Strengenensis fl. CCLXVI II t ($266^2/_3$),

(pag. 233) Scaoltensis seu Scalorensis in Norvegia fl. LX.

(pag. 271) Upsallensis fl. M.

---

[1]) Gradensis haud dubie Gardensis in Groenlandia. Sed episcopum Groenlandensem hanc summam umquam vere erogasse, immo erogare potuisse, haud facile crediderim.

[2]) Est hoc monasterium, vulgo St. Laurentii, interdum autem, sicut hoc loco, St. Mariae vocatum, in insula prope Nidrosiam situm, in qua postea castellum exstructum est, ubi captivi nonnulli memorabiles olim vixerunt, inter quos celeberrimus est Petrus Griffenfeldius. Quomodo hocce coenobium curiae tributarium factum sit, ex litteris in Dipl. Norv. VII pag. 227 et VIII pag. 176 sqq. receptis satis perspicere licet. Anno 1350 abbas huius monasterii Olavus archiepiscopus electus Avenione a Clemente VI pontifice in munere confirmatus est. Abbatis igitur beneficium apud curiam vacuefactum erat, qua occasione pontifex pro solito more statim usus, ius provisionis, quam vocant, adhibuit, Halvardumque monachum monasterio praefecit. Anno 1353, cum Nidrosiam venisset Ioannes Guilaberti, pontificis collector, Halvardus non solum 15 marcas moneta Norvegica (= 75 fl.) erogare coactus est, sed etiam pollicitus est, eandem successores summam in perpetuum soluturos.

[3]) i. e. Holensis in Islandia.

[4]) i. e. Asloensis.

[5]) pag. 229 Sedorensis in Scotia DCLX.
pag. 234 Sedorensis in insula de mari de Anglia fl. LXXXVI. Est hoc episcopatus in Iona insula, quem supra (pag. 17) memoravi.

(pag. 272) Vibergensis fl. XXXIII 1 t (33 1/3).

(pag. 273) Vessionensis fl. L.[1])

Anno 1651 Banckius, vir Suecus, Norcopia oriundus, qui professor erat in Franequerana, quae olim floruit, universitate librum edidit, qui Taxa S. Cancellariae apostolicae inscribitur. Adfero etiam taxas episcopatuum monasteriorumque Septentrionalium, quas apud Banckium invenimus, ab iis, quas in Doellingeriana editione habemus, interdum diversas. Erroribus sane index Banckianus abundat, sed continet tamen quaedam in meliore illa editione omissa:

Adrosiensis in Senestra[2])	f. 250.
Albonenem[3])	f. 200.
Farensis	f. 33.
Gradensis. Patriarcha (!)	f. 250.
Lundensis in Dacia	f. 4000.
Omnium sanctorum ord. S. Bened.	f. 200.
Lincopensis in Suecia	f. 909.
Nidrosiensis	f. 800.
De Golni (!) ord. S. Bened.	f. 75.
Olozorensis	f. 600.
Revaliensis in Livonia	f. 700.
Rosquicadensis in Dacia	f. 1000.
Stregnensis Episcopatus in Suecia	f. 2300 (!)
Sigtunensis in Suecia	f. 900.
Singuniensis in Suecia	f. 40.
Scarensis in Suecia	f. 970.
Sudorensis	f. 360.
Slesvicensis	f. 1000.
Stabangrensis	f. 250.
Scarensis	f. 470.
Sorensis in Dania	f. 800.
Sedorensis in Scocia	f. 670.
Upsalensis seu Upsaliensis in Suecia	f. 1000.
Vestanensis seu Wadstenensis in Suecia, ordinis St. Birgittae	f. 866.

[1]) In hoc indice desideramus episcopatum Aboensem in Finlandia, provinciae Upsaliensis. Scimus autem ex aliis registris, taxam huius sedis fuisse CC fl.

[2]) o: Arosiensis in Suecia.

[3]) o: Abonensis in (Finlandia).

Fridericus Munterus, Selandiae in Dania episcopus, doctrinae laudibus celeberrimus, dum in Italia anno 1784 versabatur, Romae indicem episcopatuum, cui veteres taxae adpositae erant, in bibliotheca Corsina deprehendit, Clemente XII papa (1730—1740) sedente conscriptum, in quo tamen plures episcopatus Septentrionis desiderantur. Adnotavit Munterus:[1])

Taxa et descriptio Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium et Abbatialium ecclesiarum nec non Monasteriorum et Conventuum.

Abo in Suetia provinciae Upsaliensis flor. 200.

Arosiensis in Suetia provinciae Upsaliensis flor. 250.

Bergen in Norvegia provinciae Nidrosiensis flor. $66^2/_3$.

Lunden. Metropolis in Dania sive Svetia, regionis Scaniae, nunc sub Suecis, solvit florenos 4000. Taxa huius ecclesiae per Martinum V reducta fuit ad 2000, ut constat ex bulla sub dato Florentiae nonis Martiis, anno 20.

Nidrosiensis in Norvegia flor. 800.

Ottoniensis in Dania, Fioniae insulae caput, provinciae Lundensis flor. 150.

Ripen in Dania in Cimbria Chersonesi (sic!) provinciae Lundensis flor. 120. Huic ecclesiae unita fuit praepositura in Heerdsyssel dictae dioecesis valoris 4 march. argenti per Innocentium VIII, 3 id. Decembr. anno V.

Roskildensis in Dania in Selandia insula Lundensis provinciae flor. 1000.

Vibergensis in Dania Provinciae Lundensis. Flor. $33^1/_3$.

Upsalensis in Suetia. Flor. 1000.

Amarensis seu Hamariensis in Norvegia provinciae Nidrosiensis flor. $33^1/_3$.

Errant, qui ad summas, quas electi episcopi, antequam consecrarentur, erogare coacti sunt, respicientes, sese de reditibus episcopatuum hinc iudicare posse putant. Multis enim argumentis licet intellegere, sedes episcopales magnis et fructuosis beneficiis dotatas saepe minoris aestimatas fuisse quam aliae, quibus minus largae, immo tenues fuerint impensae. Sed his de rebus spero, fore ut alio loco mihi multo uberius lingua vernacula disserere contingat.

II.

Pontifices Romanos eorumque ministros, qui vulgari lingua curtisani vocabantur, dissidii tempore summa ope nisos esse, ut omnibus modis pecuniam colligerent, supervacaneum est demonstrare. Vacantibus episcopatibus, provisione sua saepissime utebantur, iure capitulorum plane posthabito. Si inter reges et canonicos dissensio de sufficiendis episcopis orta erat, candidatus, cui regia favit potentia, semper apud curiam provisionem emere potuit.

[1]) Magazin für Kirchengeschichte und Kirchenrecht des Nordens, Altonae 1796 II, 4 p. 30—31.

Saepe tali modo evenit, ut viri indigni ad cathedras admitterentur, aut ut praelati doctrina moribusque fortasse laudandi non nisi per viam minime honestam confirmationem adsequerentur. Mortuo anno 1381 Throndone, archiepiscopo Nidrosiensi, canonici unanimi consensu Haquinum Ivari elegerunt, qui, Romam deinde festinans, in itinere audivit, alium virum a Margareta regina commendatum, sed, qui sacra administraret, vere indignum, Romae iam esse consecratum.[1]) Denuo eadem sede anno 1402 vacante statim electus est Askellus quidam, qui post biennium demum confirmatus est, postquam solito maiorem summam erogavit.[2]) Mortuo Upsaliae anno 1408 Henrico archiepiscopo, reluctantibus canonicis, Gregorio vero XII pontifice provisionem libentissime adhibente, Ioannes Gerechini, regis cancellarius, intrusus est, qui postea tamen, turpissimorum flagitiorum reus atque convictus, sede expulsus in Islandiam translatus, a rusticis huius insulae trucidatus est.[3]) Arosiae Suecorum etiam anno 1401 episcopus intrusus est, id quod in aliis quoque dioecesibus identidem accidisse per documenta huius temporis saepe comperimus.

Episcoporum servitia, quae vocabantur, semper per ipsos vel per ipsorum nuntios Romae in papali camera erogabantur. Diserte enim »communia et minuta servitia, per praelatos ratione promotionum suarum camerae debita in litteris curiae Romanae a reditibus excipiuntur, per procuratores pontificis collegendis.[4]) Cetera autem quae extorquebantur, in quibus annatae, decimae clericorum, denarius St. Petri, per collectores camera apostolica accepit, qui partim erant episcopi vel alii praelati in ipsis provinciis habitantes, partim etiam nuntii Roma in provincias missi. Anno 1395 Augustinus (Eystein) episcopus Asloensis atque haud dubie inter praelatos Norvegiae et doctrina et auctoritate hoc tempore praepollens,[5]) postea 1406 Askellus Nidrosiensis metropolitanus collector factus est.[6]) Erat hoc tempore Perusiae mercator quidam, nomine Ludovicus de Ballionibus, qui a collectoribus et subcollectoribus Germaniae, Bohemiae, Daniae, Sueciae, Norvegiae pecuniam accipere atque in camera solvere iam anno 1398[7]) iussus, per multos annos hoc officio fungebatur. Qui vir, ob avaritiam per multas terras notus ideoque venator Perusinus cognomine vocatus, iam hoc ipso anno Hauniam venit. Canonico cuidam Stavangriensi, cuius opera utebatur, Ludovicus praecepit, ut aurum sane et argentum potissimum sectaretur, quae vero metalla si praesto

[1]) Ann. Isl. ed. G. Storm pag. 413. Victor ille aemulus, Nicolaus de Finkenog, Rusare vulgo dictus, Pragae inter iuris studiosos hoc ipso tempore receptus fuerat (vide Matriculas, quas ipse edidi pag. 5).

[2]) Dipl. Norv. V. pag. 308—310.

[3]) Hic vir nefandae memoriae tamen haud indoctus fuisse videtur; nam anno 1401 Parisiis una cum Andrea fratre determinavit, vide matriculas huius universitatis, quas descripsit et mecum pro sua benevolentia communicavit doctissimus collega Gustavus Storm. Deinde anno 1401 iuris studiosus Pragae inscriptus est. (Vide libellum meum supra citatum pag. 10).

[4]) Vide exempli gratia Diplomatarium Norvegicum VI pag. 384 (anno 1395).

[5]) Norsk Historisk Tidsskrift ser. 2, II pag. 355 sqq.. Anno 1404 magnae legationi in Angliam missae praefuit, ubi »pro maximo clerico reputabatur«. (Chron. monast. St. Albani, ed. H. Th. Riley, Londinii 1868 pag. 412).

[6]) Dipl. Norv. VI pag. 405 sqq.

[7]) Dipl. Norv. IV pag. 501.

non essent, minime tamen alias res contemneret, et omnia, quae collegisset, Lubecam, Sundium vel Brugam mitteret.[1])

Bonifacii IX papae temporibus (1389—1404) Balthasarus ille Cossa, cuius vitam atque facta universus novit Christianus orbis, cum, ut verbis chronici utar, »per aliquot annos sub figura studentis Bononiae habitasset«, a pontifice archidiaconus hac in urbe factus est multumque in curia valere coeperat. Qui cum iam multis annis, antequam in cathedram St. Petri ascendit, etiam in septentrionalium regnorum historia nomen habere quodammodo debeat, e libro, quem de eo scripsit Didericus sive Theodoricus a Niem, horum temporum historicus satis notus, haec placet adferre:

»Bonifacius ipsum in cubicularium accepit, qui ita repente in ipsa curia honoratus, incepit iuxta morem pro tunc Romanae curiae cum aliis, qui ab ipso Bonifacio provisiones ecclesiasticorum praelatorum et aliorum simoniace procurabant, in una et eadem voluntate concurrere et tales provisiones etiam pro magis sibi offerentibus mediante pecunia ab eodem Bonifacio procurare, nihil de contingentibus omittendo et interim etiam causa maioris lucri captandi suos per nuncios ad quosdam praelatos certorum negociorum extra eandem curiam destinavit intimando eis, tamen mendaciter, ut sic aurum a barbaris subtiliter exquireret, qualiter dictus Bonifacius de illis per quosdam ipsorum aemulos sinistre informatus omnino dispositus erat de suis ecclesiis et dignitatibus ad alias ecclesias et provincias ipsis incognitas aut insulas ultra mare, quas occupant Sarracenii, transferre, quod quidem sic contigisset, nisi hoc ipse Balthasar cautius impedisset, sicque illi boni praelati, per eundem Balthasarem decepti, ei miserunt munera et encaenia multa, quae ipse minime refutavit. Nec istis lucris contentus, sed amplius ditari cupiens, quosdam eloquentes et audaces apostatas de Spoleto in vicinis partibus oriundos, quos Italici Exiretanos appellant, et nuncios dicti Bonifacii ad praedicandas in Almania, Dacia, Suecia et Norvegia et adiacentibus provinciis indulgentias et peccatorum remissiones de omni peccato largissimas fieri procuravit, qui, me saepe audiente, publice praedicarunt, quod etiam Sanctus Petrus, si viveret, maiorem remissione (!) peccaminum potestatem non haberet, quam ipsi ab eodem Bonifacio receperunt ad salutem animarum illorum, quibus illi eandem remissionem communicarent, et quod omnia, quae ipsis darentur ratione indulgentiarum huiusmodi, in succursum imperatoris Constantinopolitani, qui et sui subditi Christiani per Turcos tunc essent oppressi gravissime, mitterentur. Qui quidem quaestores cum magna copia ad Germaniam pervenientes et primum in Sueuia in dioecesi Constantiensi notabiliora hospitia in locis et oppidis insignibus pro se receperunt et banderium Romanae ecclesiae cum clavibus Sancti Petri depictum die immediate sequenti post iucundum illic eorum adventum extra fenestras

[1]) Vide R. Keyser, Den Norske Kirkes Historie II pag. 435.

extenderunt: intrantes autem cum magno apparatu illic maiorem ecclesiam aut principalem, maior eorum in ipsa ecclesia in altiori loco prope altare sedile cum tapetis pulchris per suos ministros, ad id deputatos, sibi fecit appari (?) cum panno nobili de Serico etiam superius extenso, ne musca vel aliquod aliud forsan de sursum cadens illum dominum papae nuncium nobilem offendere posset, qui presbyterorum illorum locorum metu, aut simplicitate causante admissi, sollemnem benedictionem ille maior nuncius populo dedit et per aliquos episcopos titulares [1]) illud mel sequentis sermonis ibidem in publico fieri fecit, intimando simplicibus ibidem tunc congregatis, ut eos levius decipere nec non pecunias reportare possent, indulgentias et remissiones peccaminum antedictas et semper in eisdem sermonibus publice dicebatur, quod ipse maior nuncius super omni irregularitate ac peccato posset dispensare ac ipsa peccata remittere ac etiam parentum animas eorundem offerentium ipsis de purgatorio liberare et ultra hoc quicquid posset Papa de plenitudine potestatis, id idem ipsi possent et etiam aliquid amplius si expediret. Et si aliquis eis in hoc forsan contradixit, illum haereticum et schismaticum nec non apostolicae sedi rebellem nominabant, et modis omnibus persequebantur, et quod infra paucos dies in praefata curia coram praedicto Bonifacio, pro meritis digna recepturus, personaliter compareret, ignominiose citarunt et per hoc plures praelatos ecclesiasticos et alios terruerunt, quod istis confictis nunciis et ita manifeste Christianum populum decipientibus timore Bonifacii et Balthasaris praedictorum se opponere non audebant, paucis exceptis in diversis locis, qui vix prece et precio ab iisdem nunciis obtinuerunt, ut a comparatione in praedicta curia et ulteriori vexatione remanerent immunes.

Et quicquid importuni nuncii paulatim, ad Misniam et Thuringiam et quasdam alias vicinas provincias et demum ad Saxoniam, in quibus tunc vigebat pestilentia grandis, pontificis dicti Bonifacii anno XIII,[2]) pervenientes, maximas pecuniarum summas, scilicet aliquando in civitate vel loco insigni VI vel VIII millia florenorum vel circiter, per illas avaras et confictas indulgentias a simplicibus exhauserunt.

Postremo vero ad Daciam venerunt de civitate Lubecensi iter agentes, ubi ultra XX millia florenorum a simplicibus illorum regnorum et partium reportarunt ex benedictione indulgentiarum praedictarum.

Sicque ultra centum millia florenorum auri ipsi nuncii infra biennium per illos modos in eisdem partibus collegerunt«.[3])

Illustrat igitur Theodoricus noster, quales fuerint illorum virorum mores, qui ita turpiter peccatorum remissionem per Germaniam Daniamque hoc tempore ausi sunt venumdare. Exstat etiam epistola Roskildiae mense Martio anno 1402 data, quae haud dubie aut

[1]) De eiusmodi episcopis vide infra pag. 37—38.

[2]) C. annum 1402.

[3]) »Theodorici de Niem historici de vita Ioannis XXIII pontificis Romani, nunc primum luci data studio et opera Henrici Meibomii, Francofurti ad Moenum Anno 1620« pag. 4—6.

ad alterutrum virorum, quorum nomina Theodoricus non tradidit, aut sane ad eorum aliquem ministrum referenda est. Hisce enim litteris frater quidam Augustinus de Undinis, O. S. B., qui sese apostolicae sedis nuntium ac poenitentiarium vocat, Vigfuso Ivari, Islandiae hoc tempore praefecto »centumque aliis utriusque sexus in remotis partibus regni Norvegiae habitantibus« indulgentia promittitur, ea scilicet condicione, ut Roskildiam pecuniam »pro subsidio christianitatis« mittant caerimoniasque aliquas observent.[1])

Accidit interdum his quoque temporibus, ut Romam devoti ex nostris terris peregrini proficiscerentur. In annalibus Islandorum narratur, c. annum 1388 multos eiusmodi pios homines Romae versatos esse, quorum tamen tumultu orto multos caesos esse, in his plures viros Norvagos consularis ordinis ex urbe Bergensi mortuos.[2])

Anno 1373 Romae mortua erat matrona sanctitatis laude et apud Italos celeberrima, Sancta Birgitta e nobili familia Suecana nata. Satis constat, ordinem monialium St. Salvatoris, quem vocant, primordia sua ei debere, ab Urbano VI pontifice anno 1379 confirmatum. Qui ordo tum in septentrionalium regnis valde adamatus est atque honoratus inclutumque monasterium Vadstenae Suecorum, Birgittinae pietatis caput, eo tempore est fundatum. Enixe et Albertus, rex Sueciae, et consiliarii huius regni a pontifice petebant, ut inter sanctos ecclesiae Romanae ipsa Birgitta reciperetur, et Bonifacius IX papa anno 1391 Suecis tandem morem gessisse dicitur, maxima scilicet accepta argenti summa. Permisit etiam pontifex idem, ut apud Vadstenense coenobium anno 1394 annus iubileus, quem vocabant, celebraretur, ita ut visitantium peccata haud secus, ac si Romae adfuissent, remitterentur, hac tamen lege, ut pecuniae pars dimidia pontificali cederet camerae. Sic pontifex quinque millia trecenta et septuaginta marcarum statim numerata pecunia accepit. Quae enim ipso iubilei tempore soluta erant, ea collectori pontificis data sunt, monasterio contra, ut iis contentum esset, quae peccatores aliquando se daturos promiserant, coacto.[3])

Facile omnino intellectu est, veram potentiam auctoritatemque pontificum etiam in borealibus terris iam multo minorem hoc tempore quam antea factam esse. Exempla quaedam digna sunt, quae adferantur. Iam Urbani VI temporibus Ioannes clericus Lubecensis, cui praepositurum sua in urbe ambienti apud pontificem Romanum res non ex sententia cesserat, de opibus Lubecae magna verba locutus erat, minitans, fortasse fore, ut Lubeca deficeret, quae si defecisset, et tria regna Septentrionis una cum provincia Rigensi defectura.[4]) Anno 1412 Arbogae (quae est civitas regni Sueciae) provincialis synodus celebrata est, ubi edictum est: »omnes illos, qui dicunt se domino papae Romano et sedi beati Petri non subesse vel eius constitutionibus non teneri aut eas non curare, declaramus tamquam haereticos evitandos et similiter puniendos«.[5])

[1]) Dipl. Norv. V. pag. 297—298.

[2]) Annus iubileus; i Rom mikill ufridr pilagrimúm; létuzt þar margir radmenn af Bergwin. Ann. Isl. cur. G. Storm pag. 284.

[3]) Rhyzelii Monasteriologia pag. 86. Svenska Riksarkivets Pensibref II pag. 293.

[4]) Hansische Geschichtsblätter 1882, pag. 105 sqq.

[5]) Svenskt Diplomatarium, ed. Silfverstolpe II pag. 543.

III.

Annis 1407 et 1408 inter cardinales utriusque pontificis, Gregorii scilicet XII et Benedicti antipapae, de tollendo ecclesiae schismate actum est, placuitque, ut concilium generale convocaretur. Adhuc servata est brevis epistola Pisae ipsis Kalendis Septembribus anni 1408 a cardinalibus Vadstenensi monasterio data, qua legatum suum, Christianum Cobant, Ratzeburgensem canonicum, commendant.[1]) Apparet inde, ut opinor, cardinales operam dedisse, ut ad Pisanum concilium etiam e septentrionalibus regnis praelati legatique venirent. Sed tamen in synodo Pisae proximo anno 1409 celebrata nemo e nostris terris comparuit. Hoc diserte testificatur epistola canonicorum Lincopensium ad consiliarios regni Sueciae »in crastino Catharinae virginis« (i. e. die XXVI mensis Novembris) 1409 scripta, in qua legimus: »Constat liquido, quod anno praesenti celebrabatur synodus Pisae, cui interfuerunt, ut dicitur, ambasiatores et nuntii dominorum regum . . . . . et quasi totius Christianitatis exceptis solummodo de istis tribus regnis borealibus.«[2])

Ab hac synodo sane et Gregorius et Benedictus pontificali nomine et iure privati sunt, et Alexander V papa creatus est. Sed quia neque Gregorius neque Benedictus decreto synodi obtemperavit, tres iam erant pontifices. De Benedicto hic non agendum est, quia in nostris regnis nemo hunc unquam agnovit. Sed in quibusdam ecclesiae provinciis, quae hucusque semper pontifici Romae sedenti morem gesserant, iam alii Gregorio, alii Alexandro eiusque successori Ioanni XXIII (Balthasari Cossae, cuius supra mentionem fecimus) obtemperabant. Ita in nostris etiam terris nonnumquam accidisse constat.

Stregnesiae Sueeorum sedes episcopalis vacavit anno 1408 proximisque annis. Canonici Giorderum archidiaconum suum elegere, qui, deinde Romam profectus, concilium Pisae celebrari audivit. Non igitur Gregorium papam adiit, sed Pisam venit, confirmationem a vero pontifice futuro expectans. Interea etiam Andreas, Upsaliensis praepositus, cui eandem cathedram ambienti Ericus rex favebat,[3]) ad Gregorium sese contulerat et ab eo confirmatus episcopatum redux occupaverat. Canonici suppliciter Alexandrum V adierunt, qui epistola Pisae IV Kal. Sextil. scripta Giorderi causam Upsaliensis archiepiscopi curae commendavit et paucis diebus post Angeli Corarii, »olim in sua obedientia Gregorii XII nuncupati«, confirmationem Andreae datam irritam esse iudicavit. Capitulum Stregnesense Alexandro iterum Giorderum commendavit.[4]) Anno 1410 Andreas ille aperte professus est, se Gregorium verum papam habere, capitulo Andream episcopum recusante et Alexandrum pontificem

[1]) Vide Svenskt Diplomatarium från och med år 1401, ed. C. Silfverstolpe. II pag. 57.

[2]) Monumenta historiae veteris ecclesiae Sviogothicae, ed. Ericus Benzelius. Upsaliae 1709. 4. pag. 158—159.

[3]) Erat idem Andreas, quem antea rex, quominus archiepiscopus evaderet, prohibuerat, Ioannem illum Gerechini in metropolitanam sedem intrudens.

[4]) Svenskt Diplomatarium, ed. Silfverstolpe II pag. 120—122, 129, 240.

agnoscente.[1]) Giordero autem non contigit, ut episcopatum obtineret, quem Andreas, a rege adiutus, sibi vindicavit. Giorderus Romae mortuus esse perhibetur.[2])

Die V Iun. 1410 Gregorius XII Caietae degens Ioanni Rigensi archiepiscopo, qui postea concilio Constantiensi interfuit, mandaverat, ut ad regna nostra legatus proficisceretur,[3]) sed nobis de illa legatione nihil est compertum. Sequente anno 1411 Ioannes XXIII Ioannem Henrikini Rinkebyensem ecclesiae St. Laurentii in Skagensi oppidulo Iutlandiae rectorem, legatum sive nuntium suum in regna Daniae, Sueciae, Norvegiae misit, qui ad expeditionem cruciatam contra Gregorium et Ladislaum, Neapolitanum regem, populum hortaretur.[4]) Pecuniam a nostris terris Ioannem nonnumquam accepisse constat. Anno 1413 collector quidam, Ioannes Scuremann, nomine Ludovici de Ballionibus denarium St. Petri per Stavangriensem dioecesim quaesitum Bergis secum abduxit.[5])

Islandus quidam praelatus, nomine Arno, anno 1413 Ioannem papam Romae adiit et ab ipso Scalholtinus episcopus confirmatus est. Quod dum refert annalium quidam Islandicus auctor, addit infelicis status, qui tum in Romana urbe erat, satis vividam narrationem.[6])

IV.

Satis constat, hoc aevum, de quo agimus, historiae geographiaeque omnino fuisse incuriosius. In Romana saltem curia de regnis, unde pecunia extorquebatur, pauci tantum uberiorem cognitionem aut habuisse aut desiderasse videntur.[7]) Vixit tamen apud curiam hoc tempore historicus, qui in scriptis suis res nostras etiam interdum memorat, Theodoricus ille, cuius de indulgentia turpiter venumdata narrationem iam supra descripsimus.

De vita Theodorici anno 1875 Goettingae dissertationem edidit doctissimus H. V. Sauerland,[8]) et plures postea de illo scripserunt, inter quos Theodorus Lindner, professor Monasteriensis celeberrimus.[9]) Doctissimus Max. Lenzius iam antea disquisitione praestantissima de quibusdam tractatibus, qui ad historiam concilii Constantiensis pertinent, edita de auctore nostro permulta eaque maximi momenti contulerat.[10])

[1]) Svenskt Diplomatarium, ed. Silfverstolpe vol. II et III passim. Cfr. Peringskoldii Monumenta pag. 288.
[2]) Reuterdahl, Svenska kyrkans historia III 2 pag. 148.
[3]) Dipl. Norv. VI pag. 408 (ex regestis Gregorii).
[4]) Dipl. Norv. VI pag. 413—415.
[5]) Dipl. Norv. III pag. 444.
[6]) Islandske Annaler, ad ann. 1413.
[7]) Avenionensis ille pontifex, Clemens VI, ipse anno 1344, ut videtur, scripsit: »dioecesim Bergensem alias non audivimus memorari« (Dipl. Norv. VI pag. 197). Haec tamen me iudice non significant, papam illum solito geographiae imperitiorem fuisse, sed fortasse contra hisce ex verbis coniiciendum est, eum de longinquis nostris partibus, quas tum vocabant, interdum cogitavisse.
[8]) H. V. Sauerland, Das Leben des Dietrich von Nieheim nebst einer Uebersicht ueber dessen Schriften. Goett. 1878. 8.
[9]) Beiträge zu dem Leben und den Schriften Dietrichs von Niem (in Forschungen zur Deutschen Geschichte XXI pag. 67 sqq.)
[10]) Max Lenz, Drei Tractate aus dem Schriftencyclus des Constanzer-Concils. Marburg 1876. 8.

Theodoricus e Nieheim, in dioecesi Paderbornensi oriundus, iuvenis Avenionem pervenit, ubi scriba, postea abbreviator factus est. Lindnerus demonstravit, iam Urbani V temporibus (1362—1370) in sacro palatio scribae munere eum functum esse. Permultos annos in curia primum Avenione, deinde Romae degebat, maximamque omnium, quae in ea acta sunt, cognitionem adsecutus est, semper tamen miserum ecclesiae statum deplorans et ex animi sententia cupiens, ut aliquando ad meliorem perveniret condicionem. Per aliquot annos (ab anno 1305) Verdensis in patria episcopus fuisse perhibetur, numquam autem consecratus fuisse videtur,[1]) et postea Romam repetiit, denuo inter abbreviatores curiae receptus.

Theodoricus in opere suo, quod vulgo inscribitur Nemus Unionis, historiam pontificum curiaeque Romanae sui temporis tam luculenter narravit, ut inter praestantissimos saeculi illius auctores semper habendus sit. Quae de Norvegia hoc in opere scripta sunt, sane non magni momenti sunt, sed indicant tamen, quomodo de nobis tum temporis senserint alienigenae. Dicit enim Theodoricus:[2])

> »Et ne quicquam de contingentibus omittamus, etiam ad extrema terrae seu Oceani, scilicet Norvegiam, frigore stridentem, sed pellibus ferinis piscibusque fecundam et marinis portubus inclytam, versus Septentrionem et Hyberniam, iuxta Oceanum, frugibus et optimis piscibus nec non animalibus magnis et parvis camporum et permaxime opulentam et grato aëre temperatam, denique, pergam. In quibus clerus ut communiter humili cultu ornatuque vestitus incedit, caerimoniis paucis et solemnitatibus nullis ad divinum cultum peragendum adornatus nec liberalibus artibus aut aliis scientiis saltem eminenter imbutus est, sed de more seu consuetudine in Norvegia clerici et laici bibunt ad haustus aequales, et nisi super modum quis inebrietur cerevisia, potu cocto, tunc non reputat se beatum, et exigit alter ab altero, ut sibi faciat iustitiam rebibendo aequaliter eum ipso, nec quis crederet, nisi videret, quantum quisque utriusque sexus ibidem biberet una vice, ac idem postea una eademque hora, donec ebrius in terram caderet, denuo acceptaret, quique crebris potationibus cyphos magnos exhaurit, hic ceteros corporali vigore ac in virtutibus excellentior reputatur. In eisdem etiam partibus Hyberniae et Norvegiae iuxta consuetudines patriae licet episcopis et presbyteris tenere publice concubinas et eisdem visitantibus bis in anno subditos sibi presbyteros ac ecclesiasticorum parochialiumque rectores suam dilectam ducere secum ad domos et hospitia eorundem subditorum presbyterorum. Nec ipsa dilecta permittit episcopum amasium visitare sine ea his de causis, ut laute vivat cum presbyteris, visitans in hospitiis eorundem presbyterorum, videatque amasias eorundem nec non dona seu munera seorsum a quolibet presbytero capiat visitato, et ne amasius, episcopo forte vidente ea pulchriorem, illam etiam adamaret sicque iniuriam faceret ipsi dilectae. Et si forte aliquis ipsorum visitatorum casu vel fortuna non habeat focariam, ut praevaricator paternarum traditionum episcopo visitanti proinde procuratores duplices ministrabit. Ac etiam presbyterorum amasiae seu uxores in eisdem partibus statu et gradu,

[1]) Si vere consecratus fuisset, nimirum, quantum quidem iudico, semper episcopi nomine insignitus esset, id quod viro ordinato semper inhaesit. Quae de episcopatu Theodorici narrantur, omnino obscura sunt, nec defuere, qui crederent, alium virum eiusdem nominis episcopum illum Verdensem fuisse.

[2]) Theodorici a Niem Historiarum sui temporis libri IV, quorum tres priores de schismate universali, quartum vero nemus unionis auctor inscripsit. Argentorati 1608. 8. pag. 501—502.

in ecclesiis ac in mensis, eundo, sedendo et stando caeteris dominabus, etiam militaribus, praeponuntur. Et paene idem modus, scilicet quoad luxuriam, circa presbyteros Gasconiae, Hispaniae et Portugalliae nec non contiguarum regionum versus Africam in omnibus observatur. Unde quodammodo plures naturales ex foedo complexu nati quam filii legitimi ac naturales in omnibus illis partibus in ecclesiasticis titulis concedendis praeferuntur, et plures legitimis apertissime promoventur. Haec pauca sufficiunt de qualitatibus cleri partium praedictarum, prout haec omnia et infinita alia in libro de regionibus orbis et qualitatibus habitantium in eisdem, quem etiam nuper edidi, latius sunt descripta«. [1])

Indignabitur fortasse haec legendo popularis quispiam noster. Sed quid sentiet, si noverit ea, quae de Norvagis ipsius regis nostri, Erici Pomerani, nomine aliquot annis post (anno 1420) ad Martinum V pontificem scripta sunt? In epistola enim huius regis ita verba facit secretarius eius: »Ceterum, pater beatissime, dignetur sanctitas vestra hoc notanter perpendere, quod populus huius regni quasi in extremis seculorum finibus constitutus, a sanctorum sacris limitibus plurimum elongatus, pondere peccatorum pergravatus, nimium rudis, animo bestialis et quasi cultura silvestris et moribus incompositis, efficacius subtiliaretur ac spiritualis consolationis incrementum perciperet atque amplioris devotionis vitaeque perfectionis complementum perciperet, si hanc religionem St. Salvatoris (i. e. ordinis Birgittini) scholam sive magistram sibi per sanctitatis vestrae gratissimam providentiam adsequi valuerit generose«. [2])

In opere denique suo, quod vocatur Privilegia aut iura imperii, [3]) id quod anno 1414 scriptum esse Lindnerus demonstravit, [4]) res septentrionalium regnorum attigit Theodoricus. Postquam de Alberto Megalopolitano, Sueciae rege, nonnulla narravit, Valdemarum, Daniae regem, virum »valde dirum et potentem, sed malignum et superbum fuisse« dicit, a maritimis civitatibus regno expulsum, quarum sub potestate tunc erat Dania, »ipso rege interim per mundum vagante et vix inveniente aliquem principem seu aliquam communitatem, quae eum hospitio excipere vellet«. »Verum tamen post multorum annorum curriculum, causante proditione aliquorum potentum ex iisdem civitatibus et oppidis pecunia corruptorum, reversus rediit et aliquam particulam eiusdem regni Daniae acquisivit, sed postea infra paucos annos vita decessit, cui domina Margareta, regina Daniae, Sueciae et Norvegiae, ipsius filia successit, quae tamen et ipsa paulo post decessit regno. Quae quidem regina Daniae, Sueciae et Norvegiae tranquille praefuit, alioquin illa regna ab eorum origine et ex tunc non poterant concordare. Nunc tamen per unum regem, Ericum nomine, etiam natione Saxonem ducem gubernantur«.

---

[1]) Hic liber Diderici, id quod vere deplorandum est, deperditus est.

[2]) Dipl. Norv. IV pag. 593.

[3]) Typis excusum Basileae 1566 in collectione Schardii: De iurisdictione imperii. Fol. Postea etiam Argentorati anno 1609.

[4]) Forschungen zur Deutschen Geschichte XXI pag. 86.

In eodem libro Theodoricus etiam fabulas quasdam adfert de vetustissimis regni Daniae regibus. Quae quamquam a veritate prorsus sane abhorrent, tamen, quae observentur, non plane indignae sunt. Videtur enim Theodorici narratio e fontibus nobis non iam cognitis fluxisse, unde apparet, auctoris nostri temporibus priscam Danorum historiam, non solum ita, ut est apud Saxonem, sed etiam alio modo narratam fuisse. Liber igitur, unde hausit Theodoricus fabulas suas, deperditus esse videtur. Verba vero haec sunt:

> Legitur in veteribus gestis regum Daniae, quod cum olim regio Vandalorum, quae inter fines novae Saxoniae et regni Daciae consistit, rege careret, duae sorores regales superstites fuerunt, quae tunc dictam regionem iure haereditario gubernarunt, ad sagittandum et portandum arma sufficienter instructae. Contigit igitur, quod inter Danos et Vandalos bellum diuturnum et mortale excresceret, unde Vandali, pro tunc Danis multitudine pugnatorum et potentia praestantiores, navale bellum indixerunt, et recollectis sexcentis navibus vel circiter, quas pugnatoribus repleverunt, et credentes sibi per vim regnum ipsorum Danorum subiicere, secum ad pugnam sorores ipsas armatas ad instar bellatorum fortium adduxerunt, quibus animosi Dani etiam cum suis navibus praeparatis et viris sufficienter armatis viriliter occurrerunt. Commisso igitur hinc inde inter partium cohortes bello saevissimo, tandem una ipsarum sororum sagitta cuiusdam emissa lethaliter vulnerata decessit, ex qua quidem percussione soror contristata nimium ulterius pugnare cessavit, quam Vandali cognoscentes, ex hoc perterriti fugere decreverunt, sed, Danis eos fortiter caedentibus, tandem Vandali victi et pro maiore parte illic interfecti fuerunt: dicta ipsorum Vandalorum superstite domina seu principe tunc etiam per ipsos Danos in eodem bello captivata, quam rex eorundum Danorum victor tunc matrimonio paganus copulavit, et sic illa guerra cessavit«. — — »Verum repetamus altius quaedam vetustiora acta regni Daniae. Legitur in veteribus gestis regum Daniae, quod regnum Daniae incepit quasi per ducentos annos ante incarnationem Domini, et tamen erant duo fratres praestantiores in ipso regno et senior illorum ad regnum aspirando duxit quandam generosam et pulchram de Saxonia in uxorem seque regem illamque reginam ab incolis illarum insularum tunc temporis tyrrannice fecit appellari, et timens, quod frater in hoc sibi resisteret, se volens tractu temporis vindicare, ipsum dolose peremit, et sic solus rex permansit, et eius filii et nepotes post eum insulas ipsas, quae multae sunt, sub regali nomine gubernabant. Tempore vero Augusti Caesaris quidam rex Daniae, Suevo nomine, tantae fuit potentiae, quod sicut ipse Augustus in Oriente nec non Asiae et Europae pro parte sibi et Romanis terras et dominia subdidit longe lateque, sic iste Suevo rex, regnante isto Caesare Augusto, provincias maritimas in Occidentali plaga consistentes, scilicet Scotiam, Hyberniam, Angliam, Vualliam et quasdam insulas maris illis contiguas, per crebra navalia bella sibi subdidit violenter, ex quo adparet, quod ipsum regnum Daniae inter omnia Christianorum regna sit antiquissimum, quodque ipsum Caesarem Augustum in dominum mmime recognovit. — — Praedicti autem Suevonis regis corpus stolida gens Danorum, cum processit ad bella cum hostibus, secum portabat, putans se pugnando vincere, cum dicti defuncti corpus interesset, quod per plures annos ipsi Dani continuarunt«.[1])

[1]) Schardii syntagma (ed. Argent. 1609) pag. 258—259, pag. 266—267. Fabula, quae de Suevone narratur, eis haud dissimilis est, quae apud Saxonem de Frothone III leguntur; pro Suevo autem fortasse rectius Sueno legendum est. Quae Theodoricus de duobus fratribus narrat, ea Saxonis Dan et Angul in memoriam quodammodo revocant.

V.

Scimus, Ioannem papam, quamvis invitum, generale concilium, Constantiae habendum, anno 1413 convocasse, quod ut celebrarent, omnium Romanae ecclesiae provinciarum praelati invitati sunt. Exstant litterae pontificis eodem anno die III Mart. ad Lundensem, die XII Decembr. vero ad Upsaliensem archiepiscopum datae,[1]) neque dubitandum est, quin similis epistola Nidrosiensi etiam scripta sit. Ericum quoque, trium regnorum regem, papa concilii futuri certiorem fecit et proximo anno ab eo etiam petiit, ut idoneos oratores Constantiam mitteret.[2]) Die V mens. Novembr. anno 1414 tandem concilium sollemniter apertum est.

Clerici, doctores, ceteri, qui concilii Constantiensis membra fuere, in nationes distributi sunt, quae vero divisio, ad exemplar universitatum haud dubie facta, in sanctis conciliis neque antea neque postea adhibita est. Angli et Germani primum hoc egerunt, ut per se nationes de rebus ecclesiae deliberarent, reluctante ipso pontifice multisque ceterarum gentium praelatis. Inde ab VII mens. Febr. anno 1415 nationum illae congregationes celebrari coeperunt. Singulis mensibus procuratores nationum eligebantur. Quattuor igitur initio in synodo erant nationes: Italica, Anglica, Gallica, Germanica. Minorum populorum clerici in maioris alicuius gentis societatem recepti sunt, quemadmodum etiam in universitatibus mos erat. Bohemi, Hungari, Poloni, Dani, Sueci, Norvagi cum Germanis in unam, quam vocabant, nationem coaluere.

Postquam vero Hispani quoque, relictis Benedicti partibus, in concilium venere, propriae nationis iura, quae eisdem etiam concessa sunt, postulantes, inter Gallos Anglosque, quorum tum reges infestis armis dimicabant, lis atque altercatio orta est. Contendebant enim Galli, suffragantibus Hispanis, ius propriae nationis Anglis, parti scilicet Germanorum, non competere. Ex documentis huius controversiae hic pauca quaedam libet describere, quoniam in eis etiam nostrarum rerum subinde mentio facta est, qua illustratur historiae doctorum virorum, qui tum erant, cognitio. Adseruit igitur Anglorum nomine Robertus Wingfeld eques inter alia: »Desinerem ab antiquorum salo, nisi me florentissima Arthuri regis memoria revocaret, cuius praeterquam Norvegiam, Daciam ac Galliam totam subiugasse proprium fuit. Illud tamen mihi longe praeclarius videtur validissimum Romanorum exercitum et prudentia et militum fortitudine devicisse. Atque ut breviter Arthuri potentiam intellegas, eius copias ex Britannia, Hybernia, Islandia (!), Selandia, Batavorum insulis, Orchadibus,

---

[1]) Svenskt Diplomatarium, ed. Silfverstolpe II pag. 597, 741.

[2] Epistolarum ad Ericum regem datarum in bibliotheca regia Danorum (Vet. Reg. Coll. 2566, 4 et 2547, 4) exempla inveniuntur.

Norvegia, Dacia, Gallia centum octoginta et trium millium et ducentorum hominum fuisse, tradiderunt, pugnatumque diu est«.[1])

Postea Angli contra Gallos etiam haec attulerunt: »Principatus notabilis Iohannis principis insularum Orcadum et aliarum, numero circa LX. Quae etiam insulae sunt aequales seu maiores dicto regno Franciae«.[2])

Robertus Wingfeld haec porro adseruit: »Nonne regnum Norvegiae saepe domuerat Franciam et nunquam contra et vincendo illic terras et dominia, ut patet de Normannia? Regnum Daciae habuit Angliam sibi subiectam. Gothi et Sueci per longissima tempora domuerunt totam Christianitatem, non solum Alemaniam, sed Italiam et Hispaniam. Et ergo secundum excellentiam divitiarum, potentiae et prosperitatis nequaquam est conveniens divisio nationum.[3])

Desideratur, quantum quidem scio, praelatorum aliorumque, qui et in ipsius synodi et in nationum sessionibus, quae vocabantur, locum obtinuerunt, plenus et accuratus index. Neque usquam scriptum esse videtur, quo tempore episcopi, abbates, praelati, legati, ceteri aut Constantiam advenerint aut urbem illam reliquerint. Scimus tamen, eo tempore, quo legati, in Arragoniam missi, Constantiam revertissent, ex nostris terris »in congregatione generali in templo cathedrali die Martis die IV Febr. anno 1416« hos adfuisse:

Petrus episcopus Ripensis pro se et Norvegiae, Daciae et Sueciae rege.

Ioannes episcopus Slesvicensis pro se et Norvegiae, Daciae et Sueciae regnis et regibus (!).

Abbas Stein pro regnis Sueciae, Daciae et Norvegiae et monasterio suo et episcopo Lincopensi.

Elzich, archidiaconus Scharensis, pro episcopo Scharensi.

Laurentius Gouedda (sic! = Gedda), canonicus Lincopensis, pro domino Canuto episcopo Lincopensi.

Coante Amonie pro duce Britanniae, rege Scotiae, comite Norvegiae[4]) et comite Sabaudiae.[5])

E Vadstenensi monasterio ordinis Sancti Salvatoris saepius legati de rebus suis acturi Constantiam missi sunt, qui in locupletissimo diario Vadstenensi nominantur:

---

[1]) H. v. d. Hardt Magnum oecumenicum concilium Constantiense, V. pag. 55. Hermannus noster professor fuit Helmstadiensis († 1746). De hoc viro de historia concilii optime merito, sed qui multis modis ab aliorum hominum moribus discederet, narrationem haud inficetam presbyteri cuiusdam Norvagi, Petri Henrici Coldii, in collectione: Kirkehistoriske Samlinger ser. 3 II pag. 643 sqq. legimus.

[2]) H. v. d. Hardt V pag. 86. Ignorasse igitur Angli videntur, et Iohannem de St. Claro, Orchadum comitem, vasallum regni Norvegiae et episcopum Orchadensem suffraganeum archiepiscopi Nidrosiensis esse.

[3]) H. v. d. Hardt V pag. 102.

[4]) Comes Norvegiae videlicet Comes Orcadum insularum.

[5]) H. v. d. Hardt V pag. 590—595.

Anno 1414. In vigilia St. Thomae Apostoli exiit frater Thorirus Andreae pro arduo negotio monasterii versus Romanam curiam vel concilium generale pro tunc in civitate Constantiensi futurum.

Anno 1416. Sexta feria post octavum ascensionis Domini exiit frater Ioannes Hildebrandi ad concilium generale Constantiense pro arduis negotiis monasterii.

Anno 1417. In crastino Augustini rediit frater Iohannes Hildebrandi de concilio Constantiensi, missus per fratrem Thorirum. Post Michaelis autem eadem via ad Constantiam remeavit.

Anno 1418. In crastino nativitatis St. Virginis obiit Thorirus conventualis noster, qui multos labores habuit pro confirmatione nostri ordinis. Bis enim prius ivit Romam, et nunc tertio ad concilium Constantiense, cumque iam esset in reditu et venisset ad Ienecopiam, ibi clausit diem supremum.[1])

Degebat Constantiae Gebhardus quidam, cognomine Dacher, vir Rudolpho Saxoniae electori subiectus, cui dominus mandavit, ut omnium hominum in urbe concilii temporibus versantium numerum adnotaret, ne meretricibus quidem exceptis. Lingua igitur vernacula librum composuit, qui »Ordentliche Beschreibung der grossen Pracht des Costnitzischen Concilii« inscribitur. Apud Dacherum, cuius indicem Latine vertit Hermannus v. d. Hardt, nostrates hos invenimus:

Ioannes, episcopus Slesvicensis in Tassia in Tenmarch.

Petrus, episcopus Ripensis in Tassia, hoc est in Tenmarch. C. VI.[2])

Nicolaus, episcopus Lucanus in Thassia, hoc est in Tenmarch.[3])

Olabus de Tatzia, Mag. in art. universitatis civitatis sanctae Coloniae.[4])

Simile de concilio chronicon composuit Ulricus v. Richental, civis Constantiensis. Ut videtur, et Latine et Germanice scripsit, sed Latinum chronicon deperditum est. Germanice liber saepius publice editus est. Novissimam editionem curavit M. R. Buck anno 1882.[5]) Mihi etiam praesto fuit editio, Augustae anno 1536 typis divulgata. (Fol.). Quae Richentalius de viris Septentrionalibus adfert, saepe somniis et commentis similia videntur, sed nihilo minus ea, quae apud eum inveni, describenda esse duxi:

Edit. Buckii pag. 52. Die nation Germanica sausz zu den barfüssen in dem capitelhaus.

[1]) Diarium Vazstenense, ed. Ericus Benzelius. Upsaliae 1721, 4. pag. 51—52, 56, 57—59.

[2]) »CVI« significat, Petrum secum centum et sex comites Constantiam attulisse. Fuit et episcopus et Erici regis legatus, et quoniam nulli Ioannis Slesvicensis famuli memorantur, probabile videtur, famulos illos ambobus fuisse communes. Sed Constantiae annonae caritatem tantam fuisse constat, ut dubitare liceat, num tot comitibus stipati fuerint. Salzburgensis sane archiepiscopi familia, teste Dachero, CCCLX hominum numerus erat, sed huic, magnarum et opulentarum regionum principi opes maximae suppetebant. Episcoporum, qui a Dachero nominantur, plurimi circiter quadraginta, triginta, viginti, decem, sex, quattuor, omnino haud ita multos famulos habuisse dicuntur.

[3]) Hic erravit Dacherus. Neque Lucana dioecesis in Dania erat neque tum episcopus, nomine Nicolaus.

[4]) Hic qui fuerit Mag. Olavus Danus, ignoramus.

[5]) »Ulrichs von Richental Chronik des Constanzer Concils 1414 bis 1418« herausgegeben von Michael Richard Buck. Gedruckt für den Litterarischen Verein in Stuttgart. Tübingen 1882. 8 (Bibliothek des Litterarischen Vereins CLVIII).

Ibid. pag. 108. Anglica natio — — Archiepiscopus Nidrosiensis in Schotis (!) et habet sub se XIIII episcopos, et omnes absentes fuerunt. Archiepiscopatus Upsaliensis in Schottenland habet sub se XX episcopos, et nullus hic fuit, sed ambasiata eorum.

Ibid. pag. 185. Sancta Colonia — — das ist Köln — — Iohannes Torer de Bergen.[1])

Ibid. pag. 188. Magistri artium — — Olobanes de Tatzia.[2])

Ibid. pag. 101. Disz sind hertzogen — — Hertzog Hainrich von Schlewit, herr zu Stormoren in Tenmark, Hertzog Adolff von Schlewit in dem küngreich Tenmark.

Ibid. pag. 201. So sind disz von Engelland und von Tenmark, von Schotten, von Norwegen und von Schweden: Andres Lung,[3]) Herung Küngshoff,[4]) Hartmann Klugs, Hans von Watterton, Hans Ficon, Pyors Kraft, Hans von Roch, Hugs Holbach, Thaneis von Wilkotis, ritter, Robert Busant, Wentzla, Swostery, Eninig Merbirei, ritter ausz Sweden, Nicolaus Sexporei, Nicolas Newelort, Geffron Offlechst, Niclain Hemerfort, Fiolton Alsterff, Tevil Torliton, Nitzgo Krotern, Richart Allisander, Johann Ottlinger, Rütsch von Rehenfurt, Walter Hungerfeld, Hanitzo Wilhelmi de Wilhain. Iso ist nun gnüg geschriben, schaffet verdrütz (!).[5])

VI.

Ioannes Skondelev, Dr. theol., inde ab anno 1373 episcopus Slesvicensis et eo igitur tempore, quo Constantiam profectus est, iam senex, in certamine de ducatu Slesvicensi, quod dudum inter Daniae regem et Holsatiae comites ortum erat, regias partes secutus erat. Hanc scilicet ob causam, ut opinor, Constantiam ab Erico rege missus erat, ut coram Sigismundo, rege Romanorum, iura regis contra Holsatos defenderet. Scimus etiam, et Henricum et Adolphum fratrem, Holsatiae comites, Constantiam sese contulisse. Satis notum est, Sigismundum Constantiae die XIV mens. Iun. anno 1415 sollemniter iudicasse, ducatum illum optimo iure ad regnum Daniae pertinere comitesque feloniae obnoxios inde excedere debere.[6]) Obiit Iohannes episcopus anno 1421 die XVII mens. Sextil. Brevi ante Martinus V pontifex ad episcopum, quem scilicet in concilio viderat cognoveratque, epistolam dederat, quam apud Waddingium legere licet. Timebat, ait Waddingius, ne

---

[1]) Inter »licentiatos bacalaurios in omnibus facultatibus« denuo (pag. 189) nominatur Ioannes Torer. Num hic Bergensis e Norvegia putandus sit, nescio.

[2]) Idem haud dubie, qui apud Dacherum Mag. Olabus de Tatzia vocatur.

[3]) Andreas Iacobi Lunge, Danus nobilis et quidem regni consiliarius hoc tempore fuit. Vide indicem Scr. Rer. Dan.

[4]) Apud Hermannum v. d. Hardt invenio, anno 1415 mense Maio virum nobilem Constantiae adfuisse, nomine Henningum Konigesmarken, camerarium regis Daniae. Fortasse idem.

[5]) Horum paucos, si ullum, nostrates fuisse apparet. In editione tamen Augustana plures ex his Norvagi aut Sueci vocantur.

[6]) Hoc Sigismundi iudicium in collectione, quae »Antislesvigholstenske Fragmenter« vocatur, legitur fasc. XIV (Hauniae anno 1851) pag. 27—31.

et aquilonaria regna Hussitico malo inficerentur, et scripsit ad episcopum Slesvicensem, ut inquisitorem apostolica auctoritate constitueret in his regnis Nicolaum Ioannis minoritam, conventus Ottoniensis alumnum, virum religionis et fidei sinceritate, morum maturitate et litterarum scientia aliisque virtutibus insignitum. [1])

Petrus Lykke e nobili Danorum stirpe illustrissima, quae postea Bilde nominata est, Parisiis iuvenis circa annum 1379 studiis operam dederat. [2]) Postea canonicus Roskildensis et quidem archidiaconus factus a Margareta regina in Angliam saepius (annis 1401, 1404, 1405) missus erat, de nuptiis Erici regis Daniae, Sueciae, Norvegiae cum Philippa, filia Henrici IV regis, acturus, quibus legationibus quia egregie functus erat, etiam summum Anglorum regis favorem sibi conciliaverat.[3]) Deinde, anno 1409 episcopus Ripensis electus, duos clericos, ut papae confirmationem impetraret, in Italiam ablegavit. Qui legati Pisano concilio sedente die XII Maii 120 florenos (taxam solitam huius episcopatus) praeter servitia minuta, quae vocabantur, nomine Petri promisere. [4]) Constantiae Petrus, episcopus Ripensis, a Germanicae nationis praelatis summis honoribus adfectus est. Legimus apud chronicum huius aevi, Felicem Hemmerlin (Malleolum), Thuricensem olim cantorem, Petri encomium ab historicis nostratibus nondum observatum, sed sane, quod observetur, dignissimum. Auctor ille Helveticus quattuor nominat homines, qui in concilio Constantiensi »pro peritioribus de mundo« habiti sunt, inter quos etiam adfert episcopum quendam de Dacia. Quem etsi non nominat, certe tamen credendum est, auctorem nostrum Petrum Lykke significasse. [5])

Die IV Mai. anno 1415 Constantiae congregatio generalis nationis Germanicae habita est in monasterio Franciscanorum, »et fuit deliberatum, quod deberent eligi tres de quinque alias electis super materia unionis, et per illos quinque fuerunt electi hi: videlicet domini Nicolaus archiepiscopus Gneznensis, Petrus episcopus Ripensis, Albertus episcopus Ratsbonensis.« [6])

Cum deinde in aestate anni 1415 in Arragoniam Sigismundus imperator, Petrum

---

[1]) Waddingii Annal. Minor. X pag. 47. Celsii Bullar. Suio-Goth. pag. 175. Frederici Munteri »Den Danske Reformationshistorie« (Hauniae 1802) I pag. 208. F. Schiernii »Nyere historiske Studier« (Hauniae 1879) II pag. 64.

[2]) In matricula universitatis Parisiensis legitur: »1379. Item determinavit D. Petrus Lucke sub Mag. Henrico de Themo, cuius bursa VI solidos VI denarios (posuit pignus). — Item licentiatus fuit D. Petrus Lucke de Dacia sub Mag. Iacobo de Dacia, cuius bursa VI sol. VI den.«

[3]) De Anglicis legationibus Petri nostri ipse olim uberius disserui (Norsk historisk Tidsskrift. ser. 2 II pag. 347 sqq.).

[4]) Ny kirkehistoriske Samlinger V pag. 868 (ex archivo Vatic.).

[5]) »Firmiter credo, quod fuerint quattuor viri tempore concilii Constantiensis pro peritioribus mundi perlecti, videlicet Franciscus de Zabarellis cardinalis et Petrus de Ancharrano civis Bononiensis, in utroque iure peritissimi, item archiepiscopus Sarisburgensis de Anglia et quidam episcopus frater minor (!) de Dacia, in theologia profundissimi. Clarissimi viri Felicis Hemmerlini opuscula et tractatus (Basileae 1497 fol.) fol. XXIX a. extr. Ipse auctor concilio Constantiensi interfuit. Invenimus in scriptis eius et alias subinde res ad nostras terras pertinentes e. gr. fol. LXXX: »Ut dicitur, dyabolus apparuit Christo in forma humana, sic Margarethae in forma draconis et Antonio et multis sanctis patribus in forma viri vel mulieris, et his diebus taliter apparet frequenter in Dacia et Norvegia, et ibidem Trolli dicuntur et propter assuetudinem ab hominibus non timentur, sed homines ipsorum obsequiis utuntur, qui etiam incubi seu succubi dicuntur et in humana specie filiis et filiabus hominum commiscentur« cett

[6]) H. v. d. Hardt pag. 157—158 cfr. 160.

de Luna, ut pontificis nomen abdicaret, hortaturus, proficisceretur, a concilio legati electi sunt tredecim, qui imperatorem comitarentur. In his erat Petrus Lykke.[1] Capitulis igitur Narbonensibus, quae vocantur, interfuit die I mens. Novembr. anno 1415.[2] Ex Hispaniensi itinere redux in concilio adfuit mense Febr. 1416.[3] Verisimile igitur est, si Petrus Lykke Constantiae mansisset, futurum fuisse, ut inter senos electores nationum, qui una cum cardinalibus novum pontificem elegerunt, is locum obtineret. Sed tum iamdudum in patriam reverterat. Die VIII mens. Novembr. anno 1416 Roskildiae, die XIX mens. Febr. 1417 Hauniae erat.[4] Constantiam Petrus repetiisse non videtur. Scribit tamen die XI mens. April. anno 1416 abbatissa Vadstenensis ad confessorem monasterii sui generalem: »Item si dominus Petrus Ripensis episcopus ad propria fuerit reversus, tunc inquirere faciatis ab eodem, quo tempore anni reversurus sit ad concilium generale.«[5] Anno 1418 mortuus est metropolitanus ecclesiae Danicae Petrus (IV) e familia Kruse, archiepiscopus Lundensis, cuius in locum postulatus est Petrus Lykke. Tanta erat eius apud Romanam curiam auctoritas, ut taxa archiepiscopatus, quae antea erat quattuor millia florenorum tum dimidia parte diminuta sit,[6] id quod alias sane inauditum est. Num ipse curiam confirmationis causa adierit, nescio. Pallio ornatus die XXVI Febr. mens. 1419 Hauniae versabatur.[7]

Steno, abbas, qui supra nominatus est, per multos annos monasterio praefuerat Ordinis St. Benedicti, Munkalif dicto, in civitate Bergensi Norvegiae sito, St. Michaeli dedicato. Summum et Margaretae reginae et Erici regis favorem sibi videtur conciliasse. Anno 1409 Lubecae adfuit et nomine reginae pecuniam accepit.[8] Ceterum de rebus huius abbatis iam uberiorem attulit notitiam Christianus Lange, monasteriorum Norvegiae historicus multo meritissimus. Steno, Birgittinae sectae fautor maximus, hoc tempore summam operam navabat, ut coenobium, cui ipse praefuit, Birgittinorum ordini traderetur, id quod denique accidit. Multis modis cum Suecis coniunctum fuisse Stenonem apparet, et facile equidem crediderim, ipsum natione Suecum fuisse. Constantiae Suecorum nomine die XXVII April. 1416 proposuit, ut tres Suecos sanctos synodus agnosceret.[9]

---

[1] H. v. d. Hardt IV pag. 459. Epistola eius ad concilium legitur apud Mansi Sanctorum Conciliorum Collectio nova IV pag. 115—116.

[2] Beiträge zur politischen, kirchlichen und Cultur-Geschichte der sechs letzten Jahrhunderte, edidit I. I. I. v. Döllinger II 331 sqq.

[3] H. v. d. Hardt IV pag. 590.

[4] Kjøbenhavns Diplomatarium I pag. 137, 144.

[5] Svenskt Diplomatarium, ed. Silfverstolpe III pag. 128.

[6] Beiträge zur politischen, kirchlichen und Culturgeschichte der sechs letzten Jahrhunderte, ed. Döllinger II pag. 127 et uberius apud Sven Lagerbring, Swea Rikes Historia II pag. 243—244.

[7] Kjøbenhavns Diplomatarium I pag. 147.

[8] Urkundenbuch der Stadt Lübeck V pag. 259.

[9] Ad instantiam domini abbatis Stein, ed. H. v. d. Hardt IV pag. 633. De Stenone itineribusque eius vide etiam Klemming, Ur en antecknares samlingar pag. 133.

De Laurentio Gedda, Lincopensi canonico, in Chronico Vadstenensi legimus: Obiit anno 1417 die commemorationis trium patronorum terrae nostrae, scilicet Nicolai Lincopensis, Brynolphi Skarensis episcoporum et Ingridis, sanctimonialis Skenningensis. Hic Dominus Laurentius fuit praecipuus fautor nostri ordinis, qui si vixisset, utique intrasset in hoc loco».[1])

VII.

Quaerendum est, quomodo ipsa sede apostolica vacante episcopi, abbates aliique praelati, quos a pontifice confirmari solitum erat, consecrationem aut collationem adsequerentur. Qua de re in chronico quodam Magdeburgensi brevem inveni notitiam. Narrat auctor ignotus, plures et episcopatus et abbatias idcirco praesidibus carere, quod ecclesia papa legitimo orbata esset.[2]) In concilio proposuit (die XIV Mai. anno 1415) Mag. Benedictus Gentiani Parisiensis »protectando pro ipsa universitate« ut »ius conferendi beneficia devolveretur ad praelatos sive locorum ordinarios (i. e. episcopos), cum studiis (i. e. universitatibus) deberet provideri taliter, quod homines litterati in ipsis possent vivere«. Placuit autem synodo: »quod per suspensionem huiusmodi atque sententiam non devolveretur collatio beneficiorum ad episcopos«.[3]) Credendum est, episcopos, qui, vacante sede Romana, in nostris terris eligerentur, non prius consecratos esse, quam Martinus V pontificatum suum occepisset. In Nidrosiensi provincia his annis nullus episcopatus vacavit, in Upsaliensi vero unus, scilicet Arosiensis (anno 1415), cui qui praeesset, electus est Navno Ioannis, natione Danus,[4]) in Lundensi etiam unus, scilicet Roskildensis (mens. Oct. anno 1416). Die VIII Novembr. eodem anno nondum electio facta erat, post quinque dies autem Ioannes Andreae electus erat, qui vero iam die XIX Febr. anno 1417 non iam electus, sed episcopus vocatur, quo iure, nescimus.[5])

Iam a Nicaeno concilio decreto cautum erat: »ne una in urbe duo essent episcopi.« Igitur, quia sacrae actiones permultae per episcopum tantum rite consecratum fieri possunt,

[1]) Diarium Vazstenense, ed. E. Benzelius pag. 57.

[2]) To der tyd MCCCCXV stunt de hilge christenheyt ane pawes wol twe iar, und dat Concilium regerede in des pawes stede. Darumme mosten vele bischopdome unde Ebbedien in der christenheit blyuen an vorstender, de nicht konden bestediget werden, darumme dat neyn pawes was als dat bischopdom to posna, sarisborch und brandenborch. Vide Riedelii Cod. Dipl. Brandenburgens. IV 1 pag. 196.

[3]) H. v. d. Hardt IV pag. 186.

[4]) Hic anno 1421 in Ottoniensem cathedram translatus, Parisiis studiorum causa degerat. Legimus enim in matricula: »1397 determinavit Dom. Nabno de Dacia sub Mag. Ruthgero de Swesia, cuius bursa VIII sol. — 1399 April. licentiatus est D. Nabno de Dacia sub Mag. Ruthgero de Swecia, cuius bursa VIII sol. — Mai. Incepit D. Nabno de Dacia sub eodem. — 1401 Facta congregatione nacionis Anglicanae II die mensis Iunii apud St. Maturinum electus est in procuratorem Mag. Nabno Ioannis de Dacia« (Successor iam die 26 mens. Sept. eodem anno creatus est).

[5]) Kjøbenhavns Diplomatarium I pagg. 138, 141, 144. De episcopo Pomesaniae anno 1417 sede adhuc Romana vacante electo et confirmationem concilii, ut videtur, desiderante, vide Ser. rer. Prussicarum V p. 403.

aegrotante vel absente ordinario praesule, episcopi tantum vicini aut fortuito casu advententes collegas in sacris administrandis adiuvare potuerunt. Saeculo XIII et XIV accidit, ut multi episcopi, suis sedibus inimicorum aut infidelium armis expulsi, id quod orientalibus episcopis Latinae confessionis haud raro contigit, aliarum dioecesium episcopis adessent. Paulatim etiam mos invaluit, ut titulo dioecesium, quae iniuria temporum iamdudum cessaverant, episcopi ad id ipsum, ut aliorum tantum nomine sacris praeessent, vocati consecrarentur. Facile intellectu est, corruptae et vacillantis ecclesiae temporibus pravos desidiososque episcopos talibus vicariis saepissime abusos esse, multumque eiusmodi homines contulisse, ut dignitas honorque episcopalis paulatim diminueretur. Theodoricus Niemensis eiusmodi episcoporum in libris suis saepe mentionem fecit (e. gr. Schisma III cap 13), hunc abusum acerbe vituperans.

Etiam in nostris regnis tales episcopi inde ab saeculo XIV ad finem vergente saepius nominantur. In Ottoniensi dioecesi, Tetzone Putbuschio 1392 sedente, Iacobus Constantiniensis [1]) et Ioannes quidam Christopolitanus veri episcopi vicibus fungebantur, [2]) in Nidrosiensi vero Bartholdum quendam titulo Groenlandensis episcopi consecratum anno 1407 invenimus, [3]) in Lundensi autem anno 1411 Ioannem Laodicensem. [4])

Constantiae per Ioannem XXIII pontificem frater quidam Severinus, [5]) natione, ut opinor, Danus, Tranquilliensis episcopus consecratus est. De origine huius tituli nihil scimus, et putandum est. Tranquilliensem titulum hac occasione primum esse inventum. [6]) Severinum vero in dioecesi Ottoniensi annis 1416, 1417, 1419 vicarii munere functum esse [7]) videmus. Deinde per multos annos dioecesi Asloensi praefuit in Norvegia, absente in Dania Iano episcopo, viro publicarum magis quam ecclesiasticarum rerum perito, quo factum est, ut in Asloensium episcoporum seriem Severinus nonnumquam receptus sit. [8]) Statuta quoque nova huius dioeceseos scripsit. [9]) Sepultus est Roskildiae. [10]) Deinde anno 1436 Nidrosiae novum episcopum Tranquilliensem fuisse videmus, nomine Tidemannum, vicarium Aslaci archiepiscopi. [11]) Tertius denique et ultimus, id quod sciam, Tranquilliensis episcopus Trugillus in monasterio quodam Malmogiensi sepultus esse dicitur anno 1469, [12]) et credendum sane est,

[1]) Errant, qui putent, hunc Constantiensem fuisse episcopum, id quod falso haud pauci credidere (ex. gr. Samlinger til Fyens Historie I.

[2]) Scr. R. D. VIII pag. 233.

[3]) Grønlands historiske Mindesmærker III pag. 891.

[4]) Svenskt Diplomatarium, ed. Silfverstolpe II pag. 424.

[5]) Scr. R. D. V pag. 517.

[6]) In territorio Bahusiensi locus quidam est, nomine Tranugil (Den Røde Bog pag. 229) et in Dania Trangilde (Pontoppidani Annales eccl. Dan. II pag. 253).

[7]) Pontoppidani Ann. II pag. 240. Scr. R. D. I pag. 323.

[8]) Dipl. Norv. VIII pag. 299, IX pag. 236 (anno 1422, anno 1427). Peder Claussøn Friis Skrifter, ed. G. Storm pag. 283.

[9]) Den røde Bog pag. 229.

[10]) Scr. Rer. Dan. V pag. 517.

[11]) Dipl. Norv. V pag. 467.

[12]) Ny kirkehistoriske Samlinger II pag. 136.

cum hoc ignoto viro titulum quoque Tranquilliensem emortuum esse. Episcopi tamen Gardenses etiam tempore sequenti consecrati sunt non alia de causa, quam ut veris episcopis adessent, ex quibus ultimus Vincentius Petri, natione Belga, ex ordine fratrum minorum, postquam cancellarius Christinae reginae fuit, anno 1520 episcopus consecratus est, deinde vicarii munere in Ottoniensi dioecesi functus est et in monasterio Maribocnsi obiit anno 1537.[1])

Etsi omnes praelati, doctores, alii, qui concilio interfuere, suis vel popularium sane sumptibus Constantiae vivebant, tamen facile intellegitur, concilio saepe et multis modis pecunia opus fuisse. Satis etiam notum est, redituum, qui pontificibus suppetere solebant, synodum, sede vacante, sibi partem saltem vindicasse. Eodem illo Perusino, Ludovico de Ballionibus, cuius supra mentionem fecimus, patres Constantienses etiam collectore usi sunt. Subcollectorem quendam Ludovici, Ioannem Tiderici de Grotte, mens. Oct. anni 1417 Bergis Norvegiae degentem invenimus, ubi fatetur, se »nomine sedis apostolicae et concilii Constantiensis« denarium St. Petri in Stavangriensi dioecesi per Haquinum episcopum exactum accepisse.[2]) Similes etiam in fontibus Suecanis collectorum litterae extant.

VIII.

Die XI mens. Novembr. anno 1417 novus tandem pontifex creatus est, Martinus V. Postquam deinde cum singulis nationibus de rebus ecclesiae egit, concilium dissolvit die XXII mens. April. anno 1418, et paulo post die XVI mens. Mai. Constantiam reliquit. Iam, dum in urbe illa moratur, plures ad illum etiam a septentrione venerant nuntii. Supplices petebant episcopi nostri, ut excusaret pontifex, quod sedem apostolicam, sicut iussum erat, tertio quoque anno visitare supersederant. Sic Askellus, Nidrosiensis archiepiscopus, Constantiam sacerdotem quendam, Olaum Andreae, veniam ut impetraret, ablegavit.[3]) In pristinum statum omnia paulatim rediere.

Nostrates Constantiae paucos tantum adfuisse, iam vidimus. Ex his unus sane, Ripensis episcopus, inter praeclarissimos Germanicae nationis praelatos locum obtinuit, sed is, brevi solum tempore Constantiae versatus, ad patriam reverterat. Ceterorum auctoritas parva tantum fuisse videtur. Iam doctissimus Io. Grammius his verbis usus est: »Praecipua nostratium negotia in hoc concilio spectabant ad augendum sanctorum numerum«.[4])

De hisce Sueciae sanctis uberius disserere supervacaneum est. Satis notum est, Birgittam denuo in sanctorum numerum Constantiae sollemniter receptam esse anno 1415

[1]) Scr. Rer. Dan. V pag. 519.
[2]) Dipl. Norv. II pag. 480.
[3]) Dipl. Norv. VI pag. 427.
[4]) Grammius ad Meursium, Hist. Dan., Florentiae 1746. Fol. pag. 560.

ipsis Kalend. Febr. [1]) Quod ad ceteros sanctos attinet, iudicium concilii dilatum est. Commissarii, qui de miraculis inquirerent, tres episcopi nominati sunt, Iacobus Asloensis, Magnus Aboensis, Eskillus Vexoniensis. Sed nihil hac de re a concilio postea actum vel constitutum videtur. [2])

Et si quaerimus, numquid contulerit illa synodus, ut melior deinde in septentrionalibus provinciis conditio ecclesiae fieret, fatendum sane est, ut aliis in terris, sic apud nos quoque in eodem loco statuque, quo antea, res ecclesiasticas protinus permansisse. Credendum sane est, conciliis Pisae et Constantiae celebratis nostrates etiam intellexisse, quantam iam in Christiano orbe universitates vim exercerent, atque idcirco apud nos quoque, ut ad academicam institutionem etiam domi aditus patefieret, iam in votis fuisse. Neque licet dubitare, quin magnis tribus conciliis saeculi XV quodammodo debentur, quod hoc potissimum saeculo tot tantaeque academiae in Germania vicinisque regnis fundatae sunt, et ecclesiae et litteris et populis magis, quam dicere possumus, profuturae. Iam anno 1419 die XIII mens. Febr. novus pontifex permisit, ut Rostochii nova fieret universitas, ea tamen condicione, ne ibidem theologorum esset facultas. [3]) Eodem anno, die XXVI mens. Mai. etiam Erico, Daniae Sueciae Norvegiae regi, concessum est, ut in Dania fieret universitas, eadem tamen addita condicione. [4]) Videtur ergo Martinus a theologis huius aevi, Parisiensibus potissimum, pericula pontificalis sive apostolicae potentiae metuens, theologorum scholis minime favisse.

Si quaerimus, quo auctore et suasore Ericus rex, a doctis studiis haud dubie ipse alienus, ut academiam fundaret, in animum induxerit, verisimillimum sane est, Petrum Lykke, Parisiis olim litterarum studiis imbutum, legati munere postea apud exteros functum, Constantiae in doctissimorum virorum circulo versatum, iam vero ad summam ecclesiae Danicae dignitatem sublatum, Ericum hortatum esse, ut tale patriae beneficium vere regium donaret. Sed nondum apud nos tempus venerat tantae rei capax, et neque Erico neque eius successore regnante ultra quidquam actum est, ut in septentrionalibus terris conderetur academia.

[1]) Testimonia collegit Hermannus v. d. Hardt IV pag. 39–40. Narrat Richenthalius, archiepiscopum regni Daniae tum Constantiae adfuisse, id quod a vero abhorret.

[2]) H. v. d. Hardt IV pag. 707 sqq.. Klemming, Ur en antecknares samlingar pag. 139 sqq.

[3]) Otto Krabbe. Die Universität Rostock I pag. 37.

[4]) Regesta dipl. hist. Dan. I pag. 386.

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 02 21 04 059 2